OFFICIA SANCTORUM RECENTIORA REIMPRESSA

Jacobi Dąbrowski

VARSAVIÆ
Typis Coll. Varsav.
Soc: JESU.
Anno Domini 1755.

OFFICIA
SANCTORUM
RECENTIORA
REIMPRESSA

VARSAVIÆ
Typis Coll. Varsav.
Soc. JESU.
Anno Domini 1755

DIE X. DECEMBRIS.

OFFICIUM

In Festo

TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS B. V. MARIÆ.

Duplex majus.

Ad Vesperas Antyphona. Domum tuam, *cum reliquis de Laudibus, Infra, Psal,* Dixit Dominus *cum reliquis ut in Officio proprio B. M. Virg.*

IN omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. *Hymn.* Ave Maris stella. *prout in Officio parvo B. M. Virg.*

℣ Hæc est Domus Domini firmiter ædificata, ℟ Bené fundata est supra firmam petram.

Ad Magnificat Antypho na.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum; quia est Domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi dicit Dominus.

ORATIO.

DEUS, qui Beatæ MARIÆ Virginis Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eáque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti: concede, ut segregati à tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Dómus sanctæ tuæ: per eundem Dominum nostrum.

Pro comm: S. Petri Chrisologi Epis: & Conf: Ant: O Doctor Optime. *ut supra* ℣ Justum deduxit. *Oratio.* DEUS, qui Be-

atum Petrum, *ut supra.*

Deinde Feriæ Adventus. Postea de S. Melchiade Papa & Martyre Antyphona. Jste Sanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio. Infirmitatem nostram. *ut in Communi unius Martyris.*

Ad matutinum. Invitatorium.

Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum, Venite adoremus.

Psal: Venite exultemus.

Hymn: Cœlestis Urbs Jerusalem. *prout in Festo Dedicationis Ecclesiæ*

In primo Nocturno Antyph: Elevata est magnificentia tua super cœlos. *Psal:* Domine DEUS noster. *cum reliqu: prout in Officio propr: B. M. Virg:*

Ant: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.

Ant: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde.

℣ Domum tuam Domine decet Sanctitudo.

℣ In longitudinem dierum. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine.

℣ Jube Domine benedicere *Bno.* Benedictione perp: De libro tertio Regum.

Lectio I. Cap: 8.

STetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel. & expandit manus suas in cœlum. & ait: Ergone putandum est quod veré DEUS habitet super terram ? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantó magis Domus hæc, quam ædificavi ? sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine

DE-

DEUS meus: audi hymnum & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super Domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem servi tui Israel, quodcunque oraverint in loco isto: & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cùm exaudieris propitius eris.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem de super aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrræ & thuris? Et sicut.

Lectio II.

SI fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati fuerint te in Domo hac: exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti Patribus eorum: *Si* clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pænitentiam egerint nomini tuo, à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata servorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam super terram tuam, quã dedisti populo tuo in possesionem.

℟. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, Terribilis ut castrorum acies ordinata?

℣. Filia Sion tota formosa, & suavis es, pulchra.

chra ut luna, electa ut ſol. Terribilis.

Lectio III,

SI quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in Domo hac, ut exaudias in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris. Inſuper & alienigena qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur nomen tuum magnum, & manus tua fortis & brachium tuum extentum ubique) cum venerit ergo, & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te aligenigena: ut diſcant univerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael, & probent quia nomen tuum invocatum eſt ſuper Domum hanc.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut ſol, & formoſa tanquam Ieruſalem? Viderunt eam filiæ Siō, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. * Viderunt. Gloria. Viderunt.

In 2do Nocturno Antyphona.

Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te DEUS in æternum, & in ſæculum ſæculi. *Antyph:* Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Antyph: Homo natus eſt in ea & ipſe fundavit eam Altiſſimus.

℣. Domine, dilexi decorem Domus tuæ.

℟.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Pater noster, *Absolutio.* Ipsius pietas.

℣. Jube domne benedicere,

Bnd. DEUS Pater Omnipotens. Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de divers.

Lectio IV.

SApientia, quæ Dei erat, & Deo erat de sinu Patris ad nos veniens ædificavit sibi Domum, ipsā scilicet Matrem suam Virginem MARIAM, in quia septem columnas excidit. Quid est in ea, septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidē Propter Sanctam TRINITATEM, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in Beata MARIA Sancta TRINITAS fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius Cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum, & post pauca. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominū habes virtutem Altissimi habes Spiritum Sanctum, habes Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste: verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta cœli.

℣. Hæc est Domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. Verè

Lectio V.

UTrum autem & quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus.

deamus, an fortitudinē habuerit, quæ nimirum virtus quo modo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli DEO in virginitate vivère proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem, legitur, Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Porrò quôd temperans, & justa fuerit, ex Angeli collocutione, ; & sui ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo, Ave gratia plena, Dominus tecum, non se extulit. quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit, & qualis esset in solita hæc salutatio secum cogitavit. Qua in re quid nisi temperans fuit? at vero, cum de cœlestibus mysterijs ab eodem Angelo doceretur. diligenter quæsivit, quomodo conciperet, & pareret, quæ virum utique non cognosceret; & in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est Domus Domini supra verticem montium, & exaltata est super omnes colles. * Et venient ad eam omnes gentes, & dicent: gloria tibi domine.

℣. venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio VI.

Justitiæ autem præsefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur, nam quòd justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur Beata Virgo MARIA fortis in proposito. temperans in silentio, prudens in interrogatione justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis & tribus fidei prædictis extru-

extruxit in ea sibi Domum sapientia cœlestis, quæ adeò mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur & caro. Ipsius autē Virginis natalis Domus divinis mysterijs consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate, in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente S. Cœlestino V. eandemque ipsam esse, in qua Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, tum Potificiis diplomatibus, & celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, & cælestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius XII. quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ Domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Missa etiam, & Officio proprio celebrari præcepit.

℟. Domus mea, Domus orationis vocabitur, dicit Dominus in ea omnis qui petit, accipit, & qui quærit invenit, * Et pulsanti aperientur.

℣. Petite & accipietis: quærite, & inveniettis. Et pulsanti. Gloria Patri, Et.

In tertio Nocturno
Antyphona.

Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus.

Antyph: Viderunt omnes populi gloriam ejus.

Antyph: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus Alleluja.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum. Parer noster

Absolutio. A vinculis.

℣. Jube domine benedicere. *Bne.*

Bno. Evangelica Lectio. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII Cap. 1. 26.

IN illo tempore: missus est Angelus Gabriel à DEO in civitatem Gallileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, & nomẽ Virginis MARIA. Et reliqua. Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Homil: super missus est.

QUæ est hæc Virgo am venerabilis, ut salutetur ab Angelo, tã humilis ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio Virginitatis & humilitatis, nec mediocriter placet DEO illa anima, in qua & humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista præcipitur,

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis * Propterea benedixit te DEUS in æternum.

℣. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo. Propterea,

Bno. Cujus Festum colimis, ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

Ex homilia 2. super eodem loco.

MIssus est, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente & corpore sanctam, nec noviter, nec fortuitò inventam sed à sæculo electam, ab altissimo

mo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam; ut pauca loquar de pluribus quam sibi aliam prædixisse DEUS videtur, quando ad serpentem ait: inimicitias ponam inter te, & mulierem; Et si adhuc dubitas, an de MARIA dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum, cui hæc servata victoria est, nisi MARIÆ.

℟. Beata es Virgo MARIA DEI Genitrix quæ credidisti Domino; perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: intercede pro nobis ad Dominum DEUM nostrum.

℣. Ave MARIA gratia plena: Dominus tecum: Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio IX.

Ex Homilia 3. super eodem loco.

ET ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum, Quò ingressus ad eam, puto in Sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sacræ devotionis gaudent se offerre DEO in odorem svavitatis. MARIÆ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit,

Te DEUM laudamus,

Ad Laudes & per Horas Antyphona.

DOmum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierum.

Psalmus Dominus regnavit.

Cum reliquis de Dominica

Ant:

Ant: Domus mea domus orationis vocabitur, in ea omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.

Ant: propter domum, Domini DEI noſtri, quæſivi bona tibi *Ant* Domine DEVS exaltaſti ſuper terram habitationem meam. *Ant.* Domum majeſtatis meæ. & locum pedum meorum glorificabo. *Cap.* In omnibus *ut ſupra.*

Hymnus. Alto ex olympi *ut in die Dedic: Eccleſiæ.*

℣ Introibimus in tabernaculum ejus.

Ant. Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. *Ad Benedictus Ant.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe DEVS cum eis erit eorum DEVS. *Oratio.*

DEUS. qui Beatæ MARIÆ. *ut ſupra* 1.

Et ſit commem: Feriæ Poſtea de S. Melchiade Pap: & Mart: Ant: Qui odit:

℣ Juſtus ut palma. *Oratio* Infirmitatem noſtram.

Ad prim ℟ *brev: dicitur*

℣ Qui natus es de MARIA Virgine. *Ad Tertiam. Ant:* Domus mea. *Capitulum* In omnibus requiem quæſivi *ut ſupra* 1. ℟ *breve,* Hic Domus Dei eſt. * Et Porta Cæli. Hic Domus. ℣ Et vocabitur Aula Dei. Et Porta. Gloria Patri, Hic Domus. v. Domine, dilexi decorem Domus tuæ.

℟ Et locum habitationis Gloriæ tuæ.

Ad Sextam Antyphona. Propter Domum Domini.

Capitulum Eccleſ. 24.

ET ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hære-

hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *breve.* Domine; Dilexi Decorem Domus tuæ, Domine. ℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ, Dilexi: Gloria Patri. Domine ℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℣ In longitudinem dierum.

Ad Nonam Antyphona. Domum Majestatis meæ *Capitulum Eccles.* 24.

IN plateis sicut cinamomum & balsamum aro natizans odorem dedi quasi myrrha electa dedi svavitatem odoris.

℟. *breve.* Domum tuam Domine, * Decet sanctitudo. Domum. ℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo. Gloria Patri. Domum tuam. ℣. Hic Domus Dei est, & Porta cœli ℟. Et vocabitur Aula Dei.

In secundis Vesperis omnia ut in primis præter Antyphonam ad Magnificat.

Ad Magnificat, Antyphona.

O quam metuendus est locus iste; Veré non est hic aliud, nisi domus Dei, & Pórta cæli. *Oratio ut supra Deinde fit comm: S, Damasi Papæ & Conf: & Feriæ tantum ut infra.*

OFFICIUM QUINQUE VULNERUM D. N. JESU CHRISTI

Feria VI. post Cineres.

AD VESPERAS.

Antyph. Veré languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis. Ego

Ego dixi in excessu meo : * Omnis homo mendax

Quid retribuam Domino , pro omnibus , quæ retribuit mihi ;

Calicem salutaris accipiam: * & nomen Domini invocabo .

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo .

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : * in atriis domus Domini , in medio tui Jerusalem.

Antyph. Veré languores nostros ipse tulit , & dolores nostros ipse portavit .

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra .

Psalmus 119.

AD Dominum cum tribulater clamavi:* & exaudivit me.

Domine libera animã meam à labiis iniquis.* & a lingva dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam ;

Sagitttæ potentis acutæ , * cum carbonibus desolatoriis .

Heu mihi , quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : * multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus:* cum loquebar illis , impugnabant me gratis .

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Antiph. Alligavit Dominus plagam Populi sui

&

& percussuram ejus sanavit,

Psalmus 139.

ERipe me Domine ab homine malo:* à viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant prælia.

Acuerunt lingvas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum,

Custodi me Domine de manu peccatoris:* & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos:* absconderunt superbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi Dominè vocem deprecationis meæ.

Domine Domine virtus salutis meæ: * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Dominè à desiderio meo peccatori :* cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: *labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos :* in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis :* & vindictam pauperum.

Verum tamen justi confitebuntur nomini tuo : * & habitabunt recti cum vultu tuo.

Antiph Alligavit Dominus plagam populi sui & percussuram ejus sanavit,

Antiph. Omnis, qui transibit stupebit super omnes plagas eius.

Psalmus 140.

De-

DOmine clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meæ, cum clamavero ad te,

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Domine custodiam ori meo: * & ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ: * ad excusandas excusationes in peccatis,

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petræ judices eorũ.

Audient verba mea quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te Domine Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: * & a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego donec transeam.

Antiph: Omnis, qui transibit stupebit super omnes plagas ejus.

Antiph: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.

Psalmus 141.

VOce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum:

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * & tu

cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, & videbam: * & non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * & non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine, * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitẽdum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Antipq. O vos omnes, qvi transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiæ 53.

CHristus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

PAnge lingva gloriosi
Laureã certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem
Qualiter Redemptor Orbis.
Immolatus vicerit.
De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens;
Quando pomi noxialis.
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde
Hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, Orbis Conditor:
Atque Ventre Virginali
Carne amictus prodiit
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:

Membra

Membra pannis involuta
VirgoMater alligat:
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.
Sempiterna sit Beatæ
Trinitati gloria.
Æqua Patri, Filioque.
Par decus Paraclito:
Vnius, Trinique nomen
Laudet Vniversitas.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt,

℞. Et dolebunt super eũ, ut in morte Primogeniti.

Ad Magnificat.

Antiph. Dum in Cruce penderet Unigenitus Dei Filius, & ab omnibus subsannaretur, Mater ejus Virgo Maria, ipsum verum Deum, & hominem condolens venerabatur,

Oratio.

DEus, qui unigeniti filii tui passione, & per quinque vulnera ejus sanguinis effusione, humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in Terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in Cælis. Per eumdem Dominum &c.

Deinde fit Commemoratio de Feria per Antiph.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

℣. Dirigatur Domine oratio mea.

℞. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oratio.

PArce Domine, parce populo tuo: ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum &c.

Ad Matut: Invitat. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum, * Venite adoremus,

Psalm: Venite exultemus &c.

Hymnus

Hymnus.

Pange lingva gloriosi lauream certaminis &c. *ut in Vesperis.*

In I. Nocturno.

Antiph: Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalmus 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo. * Dominus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum & impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super Peccatores laqueos: * ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus & justitias dilexit. * æquitatem vidit vultus ejus.

Antiph: Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Antiph: Quare rubrum est iudumentum tuū, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Psalmus 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua?

Nec fecit proximo suo malum, * & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, & non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus: * orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus & mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam; nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * & misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Antiph. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum.

℣ Foderunt manus meas, & pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea,

De Isaia propheta.

Lectio I. Cap. 53.

QUis credidit auditui nostro? & brachiũ Domini cui revelatum est? & ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum. Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humilitatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Tu autem Domine &c.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo:* In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum.

℣. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum in terras. In quo habemus.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quis abscissus est de terra

ra viventium, propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Tu autem &c.

℟. Nos qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per sanguinem Jesu Christi. * Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ipse est pax nostra.

Lectio III. Cap. 63.

QUis est, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantiū in torculari? Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcavi in furore meo, & cōculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus Redemptionis meæ venit, circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, & non fuit qui adjuvaret. Tu autem &c.

℟. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum. * Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in Cœlis, sive quæ in terris sunt.

℣. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens. Pacificans per sanguinem Crucis ejus. Gloria Patri. Pacificans.

In II. Nocturno.

Antiphona. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longè a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: * nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, & liberasti eos.

Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt; * in te speraverunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, & moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discesseris a me:

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens: * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus

meis

meis: * & in pulverem mortis deduxiſti me,

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obſedit me.

Foderunt manus meas & pedes meos: * dinumeraverunt omnia oſſa mea.

Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me: * diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defenſionem meam conſpice.

Erue a framea Deus animam meam: * & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Eccleſiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum: * univerſum ſemen Jacob glorificate eum;

Timeat eum omne ſemen Iſrael: * quoniam non ſprevit, neque deſpexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem ſuam a me: * & cum clamarem ad eum exaudivit me,

Apud te laus mea in Eccleſia magna: * vota mea reddã in conſpectu timentium eum.

Edent pauperes, & ſaturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: * vivent corda eorum in ſæculum ſæculi,

Reminiſcentur & convertentur ad Dominum * univerſi fines terræ:

Et adorabunt in conſpectu ejus * univerſæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini eſt regnum: * & ipſe dominabitur Gentium.

Manducaverunt & adora-

dora-

doraverunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * & semen meum serviet ipsi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: * & annunciabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.

Psalmus 65.

JUbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam teribilia sunt opera tua Domine! * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite, & videte opera Dei: * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam in flumine pertransibunt pede, * ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super Gentes respiciunt: * qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite Gentes Deum nostrum, * & auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam, * & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignē,

&

& aquam: * & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, & audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi, * & exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus : * qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas;

Antiph. Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

Psalmus 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * & habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, & bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob * dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi ? * ex tunc ira tua.

De Cœlo auditum fecisti

cisti

cisti judicium: * terra tremuit & quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansvetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, & reddite Domino Deo vestro: * omnes qui in circuitu ejus affertis m nera.

Terribili & ei qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terræ.

Antiph: Vulnus, & livor, & plaga tumens n n est circumligata, nec cur ata medicamine, neque fota oleo.

℣. Vere langvores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

De Sermone Sancti Bernardi Abb. Lib. de Pass, Domini. *Cap.* 41.

Lectio IV:

Captus est Jesus post plurimas illusiones tam Judæorum, quam Gentium. post sangvinis plures effusiones, clavis in mitibus manibus simul, & pedibus perforatur : & configitur ligno Crucis Saalvator noster mitissimus Jesus. Intuere, & respice rosam Passionis sanguineæ, quomodo rubet in indicium ardentissimæ charitatis. Contendunt passio, & charitas: ista, ut plus ardeat; illa, ut plus rubeat. Tu autem &c.

℟. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebat imperium. * Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

℣. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. Ut liberaret.

Lectio V.

Vide quomodo hoc flore rosæ floruerit optima vitis nostra rubicundus Jesus. Vide

totum

totum corpus, ſicubi roſæ ſanguineæ florem non invenias. Inſpice manum unam, & alteram ſi florem roſæ non invenias in utraque. Inſpice pedem unum, & alterum, numquid non roſei? Inſpice lateris aperturam, quia nec illa caret roſa, quamvis ipſa ſubrubea ſit propter mixturam aquæ; quia, ſicut narrat Evangeliſta, cum unus militum lancea latus ejus perforaſſet, exivit ſanguis, & aqua. Tu autem &c.

℟. Per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum. * Et ſicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.

℣. Noviſſime autem inimica deſtruetur mors. Et ſicut.

Ex eodem D. Bernardo *Sermone, de Paſſione Domini.*

Lectio VI.

RESpice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelſo Cœlorum habitaculo: & intuere hanc Sacroſanctam Hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter, Sanctus puer tuus Dominus Jeſus, pro peccatis fratrum ſuorum, & eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ. Cognoſce Pater tunicam filii tui Joſeph. Heu! fera peſſima devoravit eum, & conculcavit in furore ſuo veſtimentum ejus: Ecce quinque ſciſſuras lamentabiles in eo reliquit. Tu autem &c.

℟. Videmus Jeſum propter Paſſionem mortis gloria, & honore coronatum. * Ut pro omnibus guſtaret mortem.

℣. Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem confirmari. * Ut pro omnibus. Gloria Patri. Ut pro omnibus.

In

In III. Nocturno:

Antiph. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?

Psalmus 95.

CAntate Domino cãticum novum! * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: * annunciate de die in diem salutare ejus.

Annunciate inter Gẽtes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cælos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * & populos in veritate sua.

Antiph. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?

Antiph. His plagatus

tus sum in Domo eorum, qui me diligebant.

Psalmus. 96.

DOminus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: * justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * & inflammabit, in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra,

Annunciaverunt Cœli justitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine:

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum; * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: * & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Antiph: His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Antiph: In amaritudine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

Psalmus. 97.

CAntate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: *in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in Cithara & voce psalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * & populos in æquitate.

Antyph. In amaritudine sermo meus est, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnia jam consumata sunt, ut consumaretur scriptura, dixit sitio. Et reliqua

Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini. *Lib.* 12. *Comment. in Ioan. Lectio VII.*

CUm ab immanibus Judæis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quidquã jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum Caro Christi Sanctissima proprium quiddam, ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnã

ad

ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, & inexplicabili calore humidum consumentes, & igneis ardoribus præcordia urentes. Tu autem &c.

℟. Manifesta est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi. * Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

℣. Liberavit, & vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quæ data est nobis in Christo, Qui destruxit.

Lectio VIII.

CONsumatum esse ait impietatis Judaicæ modum, & impotentem sæviendi animum. Quid enim Judæi intentatū reliquerunt, aut quid nō extremæ crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii, aut contumeliæ genus prætermiserunt? Quamobrem jure, consumatum est, ait: sed hora jam eum ad prædicandum spiritibus, qui apud, inferos erant, invitante; Advenit enim ut mortuorum, ac vivorum dominaretur; ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturæ nostræ passionem sustinuit in carne sua. Tu autem &c.

℟. Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo: * In sanguine tuo,

Fecisti enim nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. In Sanguine tuo. Gloria Patri In Sanguine.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæū.

Lectio IX. Cap. 5.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I, Comment. in cap. 5. & 6. S. Matthæi.

Ego

EGo autem dico vobis: diligite inimicos vestros benefacite iis, qui oderunt vos. Multi præcepta Dei imbecillitate sua; non sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, Cæterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendū est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta: Quæ fecit David in Saul, & in Absalon: Stephanus quoque Martyr pro ini, micis lapidantibus deprecatus est: Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus, & docuit: & fecit, dicens: Pater ignosce illis; quod enim faciunt, nesciunt, Tu autem &c.

Te Deum laudamus &c.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Dominus regnavit &c. *cum cæteris &c.*

Antyph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Antiph. Alligavit Dominus plagam populi sui, & percussuram ejus sanavit.

Antyph. Omnis qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Antyph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiæ 53.

CHristus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. ℟. Deogratias.

Hymnus.

LUstra sex qui jam peregit,

Tem-

Tempus implens corporis,
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur
Immolandus stipite.
Felle potus ecce languet
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt,
Unda manat, & cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flumine
Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis:
Sylva talem nulla profert
Fronde, flore, germine
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam
Atque portum præparare
Arca mundo naufrago.
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.
Sempiterna sit Beatæ
Trinitati gloria:
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet universitas:
Amen.

℣. Videbunt in quem transfixerunt.

℟. Et dolebunt super eum, ut in morte Primogeniti.

Ad Benedictus,

Antyph. Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sangvis & aqua.

Oratio,

Deus, qui unigeniti filii tui passione &c. *ut supra in primis Vesperis.*

Deinde fit Commemoratio de Feria.

Antiph Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. ℣

℣. Repleti ſumus mane miſericordia tua.

℟. Exultavimus, & delectati ſumus.

Oratio.

INchoata jejunia, quæſumus Domine, benigno favore proſequere, ut obſeruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris exercere valeamus. Per Dominum noſtrum &c.

Ad Primam.

Antyph. Vere languores noſtros &c.

Reliqua dicuntur ut in Pſalterio.

Ad abſolutionem Capituli,

Lectio brevis.

Tradidit Chriſtus in morte animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit.

℟. Deo grátias.

Ad Tertiam.

Antyph. Ipſe autem.

Capitulum. Chriſtus vulneratus eſt, *ut ſupra &c.*

℟. *Breve.* Foderunt manus meas, & pedes meos. Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia oſſa mea. Et pedes. Gloria Patri. Foderunt.

℣. O vos omnes, qui tranſitis per viam.

℟. Attendite, & videte dolorem meum.

Ad ſextam.

Antyph. Alligavit Dominus.

Capitulum. Iſaiæ 50.

Faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me, Domine Deus auxiliator meus, & ideo non ſum confuſus.

℟. Deo gratias.

℟. *Breve.* Vere langvores noſtros * ipſe tulit. Vere,

℣. Et dolores noſtros ipſe portavit, Ipſe tulit, Gloria Patri, Vere langvores.

℣. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.

℟. Et livore ejus ſanati ſumus.

Ad No-

Ad Nonam.

Antiph. O vos omnes, *ut supra ad laudes &c.*

Capitulum Isaiæ 53.

Tradidit Christus &c. *ut supra ad Primam.*

℟. Deo gratias.

℟. *Breve.* Ipse vulneratus est: propter iniquitates nostras. Ipse.

℣. Attritus est propter scelera nostra. Propter iniquitates nostas. Gloria Patri. Ipse vulneratus est.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et non aperuit os suum.

Ad Vesperas

Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Hymnus & ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Antiph: Ego sum vestra redemptio: manus meæ, quæ vos fecerunt, clavis confixæ sunt: propter vos flagellis cæsus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, & acetum porrexerunt; in escam fel dederunt, & in latus lanceam: mortuus, & sepultus resurrexi: vobiscum sum, & vivo in æternum.

Oratio. Deus, qui unigeniti Filii tui passione &c. *in primis Vesperis.*

Deinde fit Commemoratio de Feria.

Antiph. Tu autem cum oraveris, intra in Cubiculum tuū, & clauso ostio ora Patrem tuū.

℣. Dirigatur Domine oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oratio.

Tuere Domine Populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda; quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum nostrum &c.

Die XIX. Januarii

IN FESTO S CANUTI REGIS & MARTIRIS

SEMIDUPLEX AD LIBITUM

Si occurrat in Dominica, vel infra aliquã Octavam, omittitur, cum non sit transferendum.

Antiph. Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat ſupra firmam petram.

℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine.

℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Oratio.

DEus, qui ad illuſtrandam Eccleſiam tuam Beatum Canutum Regem Martyrii palma & glorioſis miraculis decorare dignatus es; concede propitius; ut, ſicut ipſe Dominicæ Paſſionis imitator fuit, ita nos per ejus veſtigia gradientes ad gaudia ſempiterna pervenire mereamur Per eundem Dominum.

Pro Commemoratione SS: Marii Soc: & Mart:

Antiph: Iſtorum, eſt enim regnum cœlorum, qui contempſerunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, & exultate juſti.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio

EXaudi Domine populum tuum cum Sanctorum tuorum patrocinio ſupplicantem; ut & temporalis vitæ nos tribuas pace gaude-

re, & æternæ reperire ſubſidium. Per Dominum. noſtrum. &c.

In I, Nocturno Lectio de ſcriptura occur;

In II. Noct: Lect. IV

CAnutus quartus, Suenonis Eſthritii Danorum Regis filius, fide, pietate, & morum honeſtate conſpicuus eximiæ ſanctitatis a teneris annis ſpecimen dedit. Paternum ſceptrum ſumma omnium acclamatione adeptus, Religioni promovendæ ſedulo incumbere, Eccleſias redditibus augere & pretioſa ſupellectili ornare cœpit. Tum zelo propagandæ fidei ſuccenſus, barbara regna juſto certamine aggreſſus, devictas, ſubditasque nationes Chriſtianæ legi ſubjugavit. Victoriis autem plurimis glorioſus, & divitiis auctus, regale diademe ad Chriſti crucifixi pedes abjecit, ſe & regnum illi ſubjiciens, qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium. Corpus ſuum jejuniis, ciliciis, & flagellis caſtigavit, in oratione & contemplatione aſſiduus, erga pauperes profuſus, erga omnes beneficus ſemper fuit: nec umquam a juſtitiæ, divinæque legis ſemita deflexit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & a ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Deſcenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eũ. Et non.

Lectio V.

HIs aliiſque virtutibus imbutus; ad ſupremum perfectionis apicẽ ſanctus Rex properabat. Accidit autem, ut Angliæ regnum a Vilhelmo Normannorum Duce formidabili exercitu invaderetur. Anglis vero Danorum opem implorantibus cum ſuccurrere Rex decreviſſet, belli

expe-

expeditionem Olao fratri cõmisit. Qui regnandi cupiditate illectus, arma vertit in Regis perniciem, militibus & populo contra illum concitatis. Nec defuerunt rebellioni fomenta: cum enim Rex (editis legibus) decimas Ecclesiis solvi, Dei & Ecclesiæ præcepta servari, transgressores puniri sanxisset, plerique perversi ac scelerati homines exacerbati, primum quidem tumultuari, tum plebem commovere, ac tandem sanctissimo Regi necem moliri cœperunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso, Et.

Lectio VI.

Sciens igitur Rex futurorum præscius mortem sibi propter justitiam imminere, ea prænuntiata, ad Ecclesiam sancti Albani martyris Othoniæ, tamquam ad locum certaminis profectus est, & Sacramentis munitus, agonẽ suum Domino commendabat. Mox ibi adveniens conjuratorum multitudo, Ecclesiæ ignem admovere, fores confringere, & in eam irrumpere tentarunt: quod cum perficere non possent ad fenestras accedentes saxa & sagittas in sanctum Regem flexis genibus pro inimicis orantem magno impetu jaculari non cessarunt, donec lapidum & telorum ictibus, ac tandem lancea confossus, glorioso martyrio ante altare extensis brachiis procũbens coronatus est, sedente in Apostolico throno Gregorio Septimo,

mo. Multis postea miraculis Martyrem suum illustravit Deus: nam gravi penuria & diversis calamitatibus oppressa Dania; patrati sacrilegii pœnas luit. Plures etiam variis langvoribus afflicti, ad ejus tumulum remedium & incolumitatem consecuti sunt: cumque Regina sacrum ejus corpus noctu clam surripere, & alio transferre conaretur, emisso cælitus ingenti splendore perterrita, à proposito cessavit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus, ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ; & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et. Gloria Patri. Et.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Si quis vult post me venire, *ut in Communi unius Martyris.*

Pro SS. MARIO & sociis Martyribus.

Lectio IX.

MArius Persa, nobili loco natus, cum Martha conjuge pari nobilitate, & duobus filiis Audiface & Abachū, Romam venit. Claudio Imperatore, ut Martyrum sepulchra veneraretur. Ibi Christianos in vincula conjectos fovebant: & opera ac facultatibus suis sustentabant, & Sanctorum corpora sepeliebant. Quāobrem comprehensi omnes, cum nec impiorum minis, nec terrore commoverentur, ut diis sacrificarent, primum fustibus debilitati, deinde funibus attracti, tum admotis candentibus laminis combusti, & ungulis ferreis excarnificati sunt. Postremo præcisis manibus & ad collum alligatis, ducti per mediam Urbem, via Cornelia ad tertium decimum ab Urbe milliarium, in eum

locum

locum, qui Nymphe dicebatur, necantur: ac primum Martha, quæ virum ac filios ad supplicia pro Jesu Christi fide constanter perferenda, vehementer fuerat cohortata, mox ceteris in eadem arenaria cervices abscinduntur, eorumque corpora conjiciuntur in ignem. Quæ semiusta, Felicitas matrona Romana nobilis, colligenda, &c. in suo prædio sepelieñda curavit: Te Deum laudamus.

In Laudibus fit comm: SS. Marii, Marthæ, Audifacis & Abachum Mart:

Antiph: Vestri capilli ℣ Exultabunt, *de Comm: plurimorum Martyr:*

Oratio. Exaudi Domine: *ut supra.*

Vesp de sequ cum commemor: præced.

Die V. Februarii.

IN FESTO SS. MARTYRUM JAPONUM è SOCIETATE JESU. PAULI, JOANNIS, & JACOBI

Oratio.

DEUS qui primitas Fidei apud Japoniæ Gentes Beatorum Martyrum tuorum Pauli, Joannis, & Jacobi sanguine confirmasti, concede propitius, ut ad tui nominis confessionem, quorum excitamur exēplis, eorum precibus adjuvemur: Per Dominum nostrum. &c.

Lectio IV.

TAicosama Japoniæ Imperatore in Christianos

ſtianos ſæviente, tres e Societate JESU Japones, Paulus Miki, Joannes de Goto, & Jacobus Kiſai, fidem quam ibi Sanctus Franciſcus Xaverius magnis ſudoribus plantaverat; ipſi ſuo etiam ſangvine irrigarunt. Paulus claro genere ortus, ac tum profanis, tum ſacris literis excultus, annum agebat tertium, ac trigeſimum; jamq; Sacerdotio initiandus, qua voce, qua ſcriptis libris plurimos e popularibus ſuis partim ab errore ad veritatem, partim a vitiis ad virtutem traduxerat. Joannes annos tantum undeviginti natus, literarū ſtudiis operam dabat; ac Divinæ legis elementa populo explicans, obeundis olim Evangelicis miniſteriis proludebat. Jacobus quarto ſupra ſexageſimum anno jam expleto, quamquam & ipſe Catechiſta; rem tamen etiam domeſticam curabat humilitate, ac pacientia ſingulari; quas ad Virtutes quotidiana CHRISTI patientis meditatione mirum in modum excitabatur.

Lectio V.

Ergo comprehenſi, atq; extrema ſiniſtræ auris parte in Meacenſi foro publice mulctati, revinctis poſt tergum manibus vili in plauſtro per vicos primum hujus, tum aliarum Japoniæ Urbium, ſexcentorum milliarium itinere terreſtri, quo ignominia, & error latius ſpargeretur, ſumma hyeme circumducuntur; præeunte lictore, ac ſententiam crucis in eos ſcriptam preferente. quod vetitam a Tyranno CHRISTI legem prædicaſſent. Sed cum illi ærumnas inter & ludibria læti ſemper, atque alacres, quod verbis adſtruebant, exemplo quoque confirmarent; Paulus vero etiam in Meacenſi carce-

re

ſe duos e Cuſtodibus, ſexque alios in Ozacenſi, atque alicubi Gubernatorem ipſum Chriſto adjunxiſſet; triumphus ille Fidei, non probum fuit; iratis palam Taicoſamæ Bonziis, quod homines iſtos per Japoniam circumveheret, ad Chriſti ſectam diſſeminandam ſcilicet, non extirpandã.

Lectio IV.

TAndem Nangaſachiũ perducti, paratis in colle crucibus, quas ipſi antea venerabundi, ſalutaverant, affiguntur. Aderat Joanni pius, ac fortis Genitor; nec ſatis patuit, uter ſupplicium lætius, illene tulerit, an ipſe ſpectarit. Nec minor in Jacobo, devexâ licet ætate, animi vigor eminebat. At Paulus è triumphali illo crucis pulpito nativam hominis eloquentiam ſtimulante DEI charitate, ad circumfuſam multitudinem pro Chriſtiana Religione peroravit: illud palam ſibi gratulatus, quod in cruce, ut Chriſtus Dominus; eademque, atque ille, ætate moreretur. Donec ſinguli ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi, victrices animas cœlo inſerendas emiſere, nonis Februarii, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo. Pendentes corporum exuvias Epiſcopus Japoniæ, ad collem mox veniens, poſitis humi genibus publice eſt veneratus; atque ex illo cœpit locus eſſe omnibus venerationi. Id vero ſibi gratum extitiſſe, variis Deus oſtẽdit ſignis: inter quæ illud præcipuum, quod ſangvis Martyrum ſemen fuit Chriſtianorum. Quibus rite probatis, Urbanus Octavus Pontifex Maximus eos Beatorum Martyrum faſtis adſcripſit.

In III. Nocturno Homilia in Evang: Cum

audieritis prælia. *ut in Communi Martyrum.*

Die xiii Februarii.

IN FESTO S. CATHARINÆ *DE RICCIIS* VIRGINIS ORDINIS PRÆDICATORUM.

DUPLEX PRO TOTA SOCIETATE JESU

Officium & Missa de Communi Virginis tantum primo loco exceptis his, quæ hic habentur, propria.

ORATIO.

DOmine JEsu Christe, qui Beatam Catharinam Virginem tui amore succensam Passionis contemplatione clarescere voluisti; ejus intercessione concede, ut Passionis mysteria devote recolentes, ejus fructum percipere mereamur. Qui vivis. &c.

Lectio Primi nocturni de Scriptura occurrenti.

Lectio IV.

CAtharina Nobili Familia de Ricciis Florentiæ nata vel ab ineunte ætate piam indolem premature ostendit. In suburbano monasterio Sancti Petri de Monticolis, ubi morum disciplina imbueretur, collocata, quotidie ad Christi Crucifixi Imaginem orans, non sine lacrymis, horis etiam animi relaxationi addictis, ejus Passionem meditabatur. Ad Monasterium

um postea Sancti Dominici in Civitate Prati translata, paternos lares ad tempus repetere, nisi certa spe reditus habita, constanter recusavit. Tandem anno decimo tertio, seculi deliciis cōtemptis, ibidem religiosum Institutum professa est.

℟. Propter veritatem &c.

Lectio V.

CHaritate in Deum fervens Orationi fere assidue vacabat: quidquid temporis necessariis occupationibus, & modicæ quieti superet, in ea insumens: utque corpus in servitutem redigeret, ferrea catena, & flagellis illud macerabat. Cibi parcissima; octo supra quadraginta annis, carnibus abstinuit, leguminibus plerumque, & herbis vescens, interdum vero solo Pane, & aqua contenta. Proximorum æternam salutem exoptans, ardentissimas ad Deum pro peccatorum conversione preces fundebat. Tanto etiam commiserationis sensu erga purgantem animam commota est, ut acerbissimos dolores sibi divinitus inflictos in pœnarum illi debitarum expiationem pertulisse visa sit. Eximia prudentia, & regularis observantiæ zelo Moniales diu rexit, eas non minus exemplo, quam adhortationibus ad omnem Sanctimoniam informans; quo in officio humilitatem adeo coluit, ut abjectissima quæque opera sponte obiret: ac in firmis præcipua charitate, & summo studio inserviret.

℟. Dilexisti Justitiam &c.

Lectio VI.

SUpernorum Charismatum copia singularis in ea, enituit, annulo desponsationis, sacrisque Stigmatibus, quæ

non

non semel spectanda se exhibuerunt, acceptis. Plurimum annorum spatio, quinta, & sexta feria in altissimam contemplationem rapta singulos Redemptoris cruciatus in Passione toleratos ex ordine in corpore mirabiliter sentire consvevit. Prati degens Sanctum Philippum Nerium Romæ commorantem videre promeruit, ejusque colloquio frui. Exstasium, Raptuum, cœlestium Visionū ac Prophetici luminis, dono illustris futura prædixit, ac simul occulta revelavit. Gravibus denique morbis decumbens, Ecclesiæ Sacramentis munita anno a Christo nato millesimo quingentesimo nonagesimo nono, quarto nonas Februarii, in cœlum migravit. Eam Benedictus Decimusquartus Pontifex Maximus solemni ritu Sanctarum Virginum fastis adscripsit Anno salutis millesimo septingentesimo quadragesimo sexto.

℟. Afferentur Regi &c.

In Festo Sanctorum quorum Sacræ Reliquiæ apud nos coluntur.

Pro tota Societate JESU Duplex Majus, die pro singulis Ecclesiis dictæ Societatis assignanda arbitrio R. P. Generalis ex concessione

SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV.

Omnia de communi plurimorum Martyrum præter ea que hic ponuntur.

ORATIO.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum reliquiis mirabilia operaris: & fac nos immortalis gloriæ particeps, cujus in eorum cineribus pigno-

ra veneramur. Per Dominum.

In I. Nocturno.

Fratres debitores sumus.

In II. Nocturno.

Ex Tractatu S. Ioannis Damasceni de fide orthodoxa c. 16. l. 4.

Lectio IV.

CHristus Dominus Sanctorū Reliquias velut salutiferos fontes præbuit, exquibus plurima nobis beneficia manan, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex aspera & solida rupe, atque ex asini maxilla, ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente prosiluit, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe: iis quidem, quibus Dei potentia, honorque, quo sanctos suos afficit, perspectus, & exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt.

℣. Sancti tui.

Lectio V.

EX quo enim ipsamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos ad scriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fideique erga eum diem extremum clauserunt, mortuos haud quamquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mūdantur, tentationes ac mærores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera, ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris susci-

suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris; qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? Annon igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant?

℣. Verbera carnificum.

Lectio VI.

HOnorandi certe, & quidem ita, ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur, quo nimirum lætitia nostra jis, a quibus invitamur, congruat, nedum eos colere, & demereri studemus, offendamus potius & irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdē quoque servi ipsius oblectantur; quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur. Quo circa in psalmis & hymnis & cātibus spiritualibus & cōpunctione, & eorum, qui in egestate versantur, commiseratione, quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur, sanctos colamus, statuas, ipsis & visibiles imagines erigamus, imo ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivæ eorum statuæ, atque imagines simus.

℣. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium.

Descendens Jesus de Monte.

DIE II. MARTII.

S. HELENÆ

Imperatricis Viduæ.

DUPLEX.

Omnia ut in Communi non Virginum,

ORA-

ORATIO

DOmine Jesu Christe qui locum, ubi Crux Tua latebat, Beatæ Helenæ revelasti, ut per eam Ecclesiam tuã hoc pretioso thesauro ditares? ejus nobis intercessione concede, ut vitalis Ligni pretio, æternæ vitæ præmia consequamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

In Quadragesima fit comm: Feriæ.

Lectio IV.

Ex S. Ambrosi Episc: in Orat: de obitu Theodosii.

VEnit ergo Helena, cæpit revisere Loca Sancta, infudit ei Spiritus: ut Lignum Crucis requireret accessit ad Golgotham, & ait: ecce locus pugnæ, ubi est victoria? quæro Vexillum salutis, & non invenio Ego, inquit, in regnis & Crux Domini in pulvere? ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? ille adhuc latet, & jacet palma vitæ æternæ. Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos erudaverit, nec latere aquam passus est, Tollatur igitur ruina ut vita appareat. Promatur gladius quo veri Goliæ caput est amputatum: Aperiatur humus, ut salus fulgeat, Quid egisti diabole, ut absconderes Lignum, nisi ut iterum vincereris.

℟. Propter veritatem & mansvetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Et deducet. ℣. Jube Domine &c. Bened: Christus.

Lectio

Lectio V.

VIcit te Maria quæ genuit Triumphatorem, quæ sine minutione Virginitatis edidit Eum, qui Crucifixus vinceret & mortuus sub jugaret. Vinceris & hodie, ut Mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi Sancta Dominum gestavit, ego Crucem ejus investigabo. Illa generatum docuit ego resuscitatum. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum Divinum de ruinis elevabo Vexillum. Aperit itaq; humum, decutit pulverem. tria patibula confusa reperit quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus Incerto hæret ut Mulier; Sed certam indaginem Sanctus Spiritus inspirat.

℟. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatẽ, & mansvetudinem, & justitiam. Propterea unxit te Deus. ℣. Jube Dom'ne Bened: Ignem Sui: &c:

Lectio VI.

QUæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit de altero diadema intexuit: unum ad decorem alterum ad devotionem vertit: visitata est Maria, ut Evã liberaret, visitata est Helena ut imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexa, Crucis redemptionis Divinæ gẽma connecteret: misit & frenum. Utroq; usus est Constantinus & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaq; credentium imperatorum, sanctum est, quod

quod super frænum; ex illo fides, & persecutio cessaret de votio succederet. Sapiens Helena, quæ Crucem in capite Regum levavit & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoraretur. Non insolentia ista sed pietas est, cum defertur sacræ Redemptioni. Bonus itaque clavus Romanus Jmperii qui totum regit Orbem: ac vestit Principum frontē ut sint prædicatores, qui persecutores esse consveverunt.

℟. Fallax gratia: & vana est pulchritudo * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

Lectio III. Nocturno sup Evang: Simile est Regnum Cœlorum thesauro. *ut in communi non Virginum.*

IX. MARTII.

S. CATHARINÆ BONONIENSIS

Virginis Ordinis S. CLARÆ.

DUPLEX.

ORATIO.

Concede nos famulos tuos Deus, Beatæ Catharinæ Virginis suffragiis adjuvari, cujus odore unguentorum trahimur ad tua Sancta lætantes.

Lectio IV.

Catharina Virgo, Boloniæ nobilibus parentibus Joanne Ferrariensi, ex illustri Vigiorum familia, & Bonaventura Bononiensi orta est. Hanc Beata Dei Geni-

Dtrix

trix Maria patri per visum prænunciavit in festo Nativitatis suæ veluti fulgentissimũ solem nascituram. Quare ab incunabulis Dei benedictione præventa, vitæ innocentiam cum pietate perpetuo servavit. Vigesimũ annũ agens a Matre Ferreriam perducta in Monasterio Corporis Christi religiosumSanctæ Claræ habitum sumpsit. Quo in loco ut lampas ardens cæteris splendescere, & virtutum omnium specimen præbere cæpit. Humilitas tanta ei inerat, ut viliora semper & lacera indumenta caperet, abjectiora officia exhiberet; Charitate erga omnes afficiebatur maxima. Nil vitabat, nil prætermittebat, quin foveret omnes sublevaretque, præsertim infirmas; in quibus Monialis caput saniei tabefactum nedum contingere, & manibus abstergere, sed & lingua lingere sæpius non horruerit. Tu autem.

℟. Propter veritatem, & mansvetudinem, & justitiam: *Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

TAnta erga errantes affecta erat commiseratione, ut suam ipsius animam Deum precaretur in inferno exuri, dummodo illarum animæ ab incendio (si fieri posset) eriperentur. Obedientiæ virtute sic eminebat, ut semel tentata sese in flammam iniecisset, nisi statim revocata, ab illa se eruisset. Orationi assiduæ Sponsi sui amore flagrãs summa spiritus dulcedine potiebatur. Quare arcana cordium, & secreta cœlestia sæpe ei

sunt

ſunt revelata. Cui & Sanctus Thomas Cantuarienſis manum deoſculandam, & B. Franciſcus ſtigmata viſenda aliquando præbuerunt. Animam Joannis Epiſcopi Ferrarienſis in cælum euntem, veluti ſtellam coruſcantem, Moniali quæ tunc aderat oſtendit. Aliquando in Miſſa, dum Sacerdos Præfationem perficeret, Angelorum concentum, ter Sanctus canentium mira ſvavitate audivit, qui ſi diutius, ut ipſa retulit perduraſſet, procul dubio corpore reſoluta foret. Fratrem in viam ſalutis reduxit, Sororis animam in cœlum euntem vidit, multa prophetico ſpiritu prædixit. Tu autem.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus. Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatē, & manſvetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio IV.

CUm autem Bononienſes etiam fama ſanctitatis ejus permoti, Monaſterium Bononiæ in honorem Corporis Chriſti erexiſſent, ex Ferrarienſi Monaſterio Beata Catharina una cum quindecim Monialibus Bononiam, ut illud Monaſterium regeret, mittitur. Quod quidem illa & Virginum numero, & regulari diſciplina auxit. Cumque octo & viginti annos adverſa valetudine probata, poſtremum ſibi diem imminere prævideret, cōvocatis Sororibus monita ſalutis dedit. Sumptis deinde Sacramentis, invocato Jeſu nomine beatam efflavit animā, quinquageſimo ætatis ſuæ anno. Honorificè ſepulto ejus corpore mirificus odor e ſepulchro fragrare cæpit, & illuc

illuc concurrentes plurimi infirmi sanati sunt. post dies decem & octo exhumatum corpus inventũ est incorruptum & magno odore fragrans. Quod in Ecclesia delatum ibi religiose asservatur integrum & multis clarum miraculis. Eam vero Clemens Papa XI. solemni ritu Sanctorum Catalogo adscripsit. Tu autem.

℟. Afferentur Regi virgines post eam proximæ ejus. * Afferentur tibi in lætitia & exultatione.

℣. Specie tua & pulchritudine tua intende prospere procede & regna. Afferentur. Gloria Patri: Afferentur.

In III. Nocturno.

Lect. S. Evangelii secundum Matthæum *Cap.* 25.

Lectio IIV.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso & Sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Episcopi.

VIde ne quando te pæniteat malorum consiliorum cum nulla pœnitentiæ utilitas existit. Refrenet te Virginum exemplum. Illæ oleum invasis non habentes, cum ipsas congredi cum sponso oportebat, tunc tandem senserunt rerum necessariarum negligentiam. Qua propter etiam fatuas Evangelium illas appellavit, quod tempus usus olei incurrendo, ac apparatu consumentes, non animadverterunt, quod se ipsas a Sponsi hilaritate excluderent. Itaq; & tu vide ne annũ ex anno, & menses ex mensibus, & diem ex die differens & non accipiens oleum luminis, alimentum, incidas aliquando

quando in diem, quam non expectas, quando deficiet te decætero vivendi processus, & consilii inopia, & tribulatio immitigabilis fuerit. Tu autem.

℞. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sũpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias.

℣. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente.

Lectio VIII.

NEmo te inanibus verbis decipiat instabit enim tibi repentina pernicies, & mors ad procellæ similitudinem aderit. Veniet Angelus tristis abducens violenter, & trahens animam peccatorum vinculis illigatam, & frequenter se convertentem ad ea quæ hic sunt. Lugentem sine voce & instrumento lamentationum de cætero concluso. O quam te ipsum dilaniabis! O quantum ingemisces, frustra pœnitentiam ob mala consilia agens! Ubi videris hilaritatem justorum, ob splendidam donorum distributionem & tristitiã peccatorum in tenebris profundissimæ relegationis. Tu autem.

℞. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Prudentes virgines aptate vestras lampades. Ecce sponsus. Gloria. Ecce.

IX. Lectio sumitur ex homil. in Evangelium. Fer. occur.

IN FESTO SACRATISSIMÆ CORONÆ D. N. JESU CHRISTI Pro PP. Soc: JESU.

Duplex Majus.

AD VESPERAS

Antiph: Milites Præsidis. *Cum reliq: de laud.*

Psalm. Dixit Dominus. *Cum reliquis de Dom. & loco ultimi Psal.* Laudate Dominũ omnes gentes.

Capitulum Cap. 3.

EGredimini, & videte filiæ Sion Regẽ Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Hymnus.

Vexilla regis prodeunt: &c:

Ut in Dominica Passionis.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnificat.

Antiph Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit; & milites plectentes Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum.

Oratio.

DEus, Qui Unigenitũ tuum in Passione sua Spinea Corona decorari, & Regem adorari voluisti; da nobis, quæsumus, ob piam venerationem sacræ illius spineæ Coronæ in cæle-

sti ejus Regno Coronâ gloriæ suæ, & æterni Regis majest rem perpetuo contemplari. Per eundem Dominum.

Commemoratio Feriæ.

AD MATUTINUM

Invitatorium.

Christum Regem pro nobis spinis coronatum; Venite adoremus.

Psalm: Venite exultemus &c.

Hymnus.

Pange lingva gloriosi &c:

ut in Dominica Passionis

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Maledicta terra in opere suo, spinas & tribulos germinabit tibi.

Psalm: I. Beatus vir, qui non abiit &c. *de comm: Conf: Pont.*

Antiph: Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant prælia.

Psalm: 2. Quare fremu erunt Gentes. &c.

Antiph. Omnes, qui videbant me, aspernabantur me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.

Psalm: 3. Domine, quid multiplicati sunt, &c.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

De Isaia Propheta.

Lectio I. cap. 53.

QUis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, Sicut radix de terra sitienti; non est species ei, neque decor, & vidimus eum: Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.

℟. Ecce vidimus eũ non habentem speciem, neque decorem, aspe-

ctus ejus in eo non est; hic peccata nostra portavit, & pro nobis dolet, Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Cujus.

Lectio II.

VEre langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unus quisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? * Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta.
Lectio III. cap. 12 & 13.

ET erit in die illa, quæram conterre omnes Gentes quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum; & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus sum in domo eorum: qui diligebant me,

me, Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute pastorem, & dispergentur oves; & convertam manum meam ad parvulos

℟. Tuam coronam spineam veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem; Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere nobis. Gloria Patri. Miserere nobis.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus & pro hordeo spina.

Psalm. 4. Cum invocarem, &c.

De Comm. Conf. Pont.

Antiph. Acuerunt linguas suas sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum.

Psalm. 5. Verba mea auribus percipe Domine &c.

Antiph. Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Jacob magnificate eum.

Psalm. 8. Domine Dominus noster. &c.

℣. Gloria, & honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ex Tractatu S. Athanasii Episcopi.

In Passionem Domini.

Lectio IV.

CUm exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de diabolo trophæum, & quo illud manifestū fieret, narratur a Joanne, indutus fuisse purpura; a Matthæo vero, chlamyde coccinea; coronamque illi ex spinis super caput esse positam, & calamum in manus datum; & ita cum eum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculū

novum

novum, & incredibile, & magnæ sine dubio victoriæ insigne; quem enim ut hominem condemnaverant, eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt; & quem aspernabantur ut vilem, & contemptibilem, eum confitebantur Regem; cui tunicam, & vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt, & quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appellaverunt; & quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam spineam. & calamum. Nam tametsi ea quasi per cōtumeliam agebant. efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliaretur,

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa signo.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Serm: LXIX.

Lectio V.

Videamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis: ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophetam: sustinui, ut faceret uvam, fecit autem spinas, & non justitiam, sed clamorem. Quam dura conditio, & possessio, quæ Domino suo svavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit! Hoc est: cum Judæi Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, eum coronaverunt passione.

Quæ

Quæ corona quidem, quantum in Judæis eſt, erat injuriarum contumelia, quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Judæi Dominum, dum coronant, compungunt, cum crucifigunt. Unde ait ſcriptura ſancta: Videbunt, in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, & prævaluerunt inſidiantes mihi; tradidit me, quem diligebam; * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, ſubſannabant me.

℣. Inter iniquos projecerunt me & non pepercerunt animæ meæ. Et terribilibus.

Lectio IV.

IGitur, Fratres, videte, ne & nobis dicatur: Suſtinui ut faceret uvam, fecit autem ſpinas, quas Domino Judæi cruentis impoſuerunt manibus, nos iniquis ſenſibus apponamus; & compungamus eum non aſperitate ſentium, ſed operum pravitate. Sunt enim ſpinæ cordis, quæ Verbū Dei etiam vulnerare conſveverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens, ſeminantis ſemen cecidiſſe inter ſpinas, & creviſſe eas; ac ſuffocaſſe, quod ſatum eſt. Ergo, fratres, videte, ne vinea veſtra non uvas, ſed ſpinas faciat; ne vindemia veſtra non vinū afferat, ſed acetum. Quiſquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non Vinum. Quiſquis meſſes recondit, & indigentibus non miniſtrat, iſte non alimoniæ fructus repoſuit, ſed tribulos avaritiæ congregavit. Nam propterea ait ſcriptura de terra veſtra: ſpinas, & tribulos germinabit tibi.

℟. Vi-

℟. Vinea mea dilecta, ego te plantavi: * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me spinis coronares?

℣. Sepivi te, lapides elegi ex te, & ædificavi turrim. Quomodo cõversa. Gloria Patri, Quomodo,

IN III. NOCTURNO

Antiph. Gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Psalm. 95. Cantate Domino canticum novum &c. *ut in Officio parvo B. V.*

Antiph. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

Psalm. 96. Dominus regnavit &c. *ibid.*

Antiph. Ego dedi tibi sceptrum regale; & tu dedisti Capiti meo spineam coronam.

Psalm., 97. Canrate Domino canticum novum quia mirabilia fecit &c: *ibidem.*

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini.

℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19.

IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum. & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 116. *in Ioannem.*

HOc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarẽt, & usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet: quod idẽ Præses cohortem suam etiam permisit facere, quæ sequuntur, aut fortassis, & jussit, quamvis hoc Evangelium tacuit;

dixit

dixit enim quid deinde fecerint milites; Pilatum id jussisse, non dixit.

℟. Christus Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

Lectio VIII.

ET milites (inquit) plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant; Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas. Sic implebantur, quæ de se prædixerat Christus; Sic Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutori licuisset facere, perferenda, sic paulisper occultata tremenda potentia commendabatur prius imitanda sapientia; sic regnum. quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sic illud grano multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

℟. Milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: * Et plectentes Coronam de Spinis, posuerunt super caput ejus.

℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum, Et plectentes coronam. Gloria Patri. Et plectentes coronam.

Lectio IX.

De Homil. Fer. 6. curr.

Te Deum laudamus.

AD

AD LAUDES, & PER HORAS.

Antiph. Milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium; congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psalm. Dnminus regnavit. *Cum reliqu. de Dominica.*

Antiph. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

Antiph. Et plectentes coronam de Spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejns.

Antiph. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.

Antiph. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus.

Capitulrm Cant: 3.

EGredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Hymnus.

Lustra sex qui iam peregit, &c. *ut in Dominica Passionis*

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virture.

Ad Benedictus

Antihp. Milites induunt Jesum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, Et cœperunt salutare eũ: Ave Rex Judæorum.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum *ut Supra.*

Comm. Feriæ

AD TERTIAM.

Antiph. Et exuentes eum.

Capitulum. Egredimini. *ut supra,*

℟. *Breve.* Tuam coronam * Adoramus Domine, Tuamcoronam.

℣. Tuam

℣. Tuam gloriosam recolimus Passionem. Adoramus Domine. Gloria Patri. Tuam coronam.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

AD SEXTAM.

Antiph. Et plectentes Coronam,

Capitulum Apoc 6.

VIdi, & ecce equus albus. & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei Corona, & exivit vincens, ut vinceret.

℟. *Breve,* Gloria, & honore coronasti eum domine; Gloria, & honore,

℣. Et constituisti eũ super opera manuum tuarum. . . Constituisti. Gloria Patri. Gloria, & honore..

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini.

℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

DA NONAM

Antiph. Et expuentes in eum.

Capitulum Isa: 28.

IN die illa erit Dominus exer ituum Corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.

℟. *Breve.* Eris corona gloriæ in manu Domini. Eris corona.

℣. Et diadema regni in manu Dei tui. In manu Domini. Gloria Patri. Eris corona.

℟. Dominus regnavit decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, & præcinxir se virtute.

In secundis Vesperis, Antiph: Psalm: Capitulum, Hymnus, & Vers. sicut in prim: Vesp.

Ad Magnificat.

Antiph. O coronæ miranda dignitas, mortis pœnas debitas repellis.

tu spes

tu spes lapsis, firmitas infirmis. Tu restauras coronas perditas.

Oratio. ut supra, comm. Feria.

FERIA VI.

Post Dominicam Passionis.

OFFICIUM SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ V.

DUPLEX

AD VESPERAS

Antiph: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Credidi, *cum reliquis Psalmis, ut in festo Quinque vulnerum Christi pag.* 11.

Dilectus meus candidus, comæ capitis ejus sicut purpura Regni vincta canalibus *Psal. Ad Dominum, pag.* 12.

Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? quo dilectus tuus declinavit. *Psalm. Eripe &c.*

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, intra ubera mea commorabitur: *Psalm. Dne clamavi &c.*

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo *Psalm: Voce mea. &c,*

Capitulum.

QUis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendet sicut radix de terra sitienti.

Hymnus.

STabat Mater dolorosa,
Juxta Crucem lachrymosa. Dum

Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater Unigeniti.
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat, dum videbat,
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret,
In tanto supplicio.
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio.
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit Spiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris.
Fac ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum,
In amando Christum DEUM,
Vt sibi complaceam.
Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tuam ipsius animam (ait ad Mariam Simeon) pertransibit gladius.

Oratio.

DEus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui transfixionem

ejus & paſſionem venerando recolimus, glorioſis meritis, & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter aſtantium intercedentibus, paſſionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui vivis & regnas.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Antiph. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, ante quam patiar.

℣. Eripe me Domine ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

Oratio.

ESto quæſumus Domine, propitius plebi tuæ: ut quæ tibi non placent, reſpuentes; tuorum potius repleamur delectationibus mandatorum. Per Dominum noſtrum.

AD MATUTNUM.

Invitatorium.

Dolores glorioſæ recolentes Virginis, Dominum pro nobis paſſum, * Venite adoremus.

Pſalm. Venite exultemus.

Hymnus.

SAncta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare,
In planctu deſidero.
Amen.

In 1. Nocturno

Antiph. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.

Pſalmus 2.

QUare fremuerunt, gentes?* & populi meditati ſunt nania?

Adſtiterunt Reges terræ, & Priocipes convenerunt in unum * adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus a nobis jugum ipſorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, * & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me; * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, * & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * & tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, * & pereatis de via juſta.

Cum exarſerit in brevi ira ejus,* beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

Pſalmus. 3.

DOmine, quid multiplicati ſunr qui tribulant me? * multi inſurgunt adverſum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem Domine ſuſceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi * & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormivi, & ſoporatus ſum * & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me.* exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: * dentes peccatorum contriviſti.

Domini eſt ſalus: * & ſuper populum tuum benedictio tua.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

Antiph. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Pſalmus 12.

Usquequo Domine obliviſceris me in finem? * Uſquequo avertis faciem tuam a me.

Quamdiu ponam conſilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem!

Uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? * reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: * ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: * ego autem in miſericordia tua ſperavi.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: * & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

Antiph: Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

℣. Poſuit me deſolatam.

℟.

℟. Tota die mœrore confectam.

Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine.

℣. Jube Domine *Benedictio.* Benedictione perpetua.

Lectio I.

De Jsaia Propheta Cap: 53.

QVis credidit auditui nostro? Et brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: Despectum, & novissimum, virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde reputavimus eum. Vere langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percusum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, atritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

℟. Dilectus meus candidus & rubicundus, & totus desiderabilis * Omnis enim figura ejus amorem spirat, & ad redamandum provocat caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum.

℣. Piis ô Virgo, spectas eum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum livorem, quam mundi salutem. Omnis enim *Benedictio,* Unigenitus Dei Filius.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

Oblatus

Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Manus ejus tornatiles. clavorum cuspide terebratæ, * Humanæ salutis pretio quasi hyacinthis refertæ.

℣. Cornua in manibus ejus: sunt enim manus ejus. Humanæ salutis. *Benedictio* Spiritûs sancti gratia.

Lectio III.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos. & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

℟. Diligebat Jesus Joannem, * Quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. * Quia Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit. ℣.

℣. In Cruce denique moriturus huic Matrem Virginem Virgini commendavit. Quoniam specialis. Gloria Patri. Quia virgo.

In II. Nocturno.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem, * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: * & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus:

Ego dixi: Domine miserere mei: * sana animam meam, quia peccavi tibi,

Inimici mei dixerunt mala mihi: * Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me,* Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi; * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: * & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus

micus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo, & usque in sæculum: * fiat, fiat.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus:

Antiph. Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lachrimas meas in conspectu tuo.

Psalmus. 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabuntur * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt & abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam pro nihilo salvos facies illos, * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut & in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die invocavero te * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In

In me ſunt Deus vota tua: * quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuiſti animam meam de lapſu; * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Deus, vitam meam annuntiavi tibi: poſuiſti lachrimas meas in conſpectu tuo.

Antiph. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ; & lingva eorum gladius acutus.

Pſalmus 56.

MIſerere mei Deus, miſerere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum ſperabo * donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad Deum Altiſſimum: * Deum qui benefecit mihi.

Miſit de cælo, & liberavit me * dedit in opprobrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam * & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: * dormivi conturbatus.

Fili hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, * & lingva eorum gladius accutus.

Exaltare ſuper cælos Deus: * & in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * & incuraverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. * cantabo, & pſalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: * & pſalmum

mum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua. * & usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cælos Deus. * & super omnem terram gloria tua.

Antiph: Filij hominum, dentes eorum gladius acutus.

℣. Facies mea intumuit a fletu.

℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Pater noster, *Absolutio*: Ipsius pietas.

℣. Jube Domine.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Alberti Abbatis.

Ex serm: de 12. Stellis.

Lectio IV,

Martyrium Virginitam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ Pasionis historia commendatur. Positus est hic (ait sanctus senex de puero Jesu) in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Vere tuam o beata Mater, animam pertransibit. Alioquin non nisi eam pertransiens carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, plene non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit: Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Tenebræ factæ sunt cum crucifixissent Jesum Judæi, & circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid dereliquisti me. * Et inclinato capite emisit spiritum.

℣.

℣. Quis tibi tunc sensus dum cernis talia, Virgo? Et inclinato capite. *Benedictio*, Christus perpetuæ.

Lectio V.

TUam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo revera ille, pertansiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs: Mulier, ecce Filius tuus? O commutationem! Joannes Tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?

℣. Passio Domini, * Ipsam ejus Matrem carnali orbitate graviter percussam, vehementissime contristavit.

℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris, animam vero transivit Virginis Matris. Ipsam ejus Matrem, *Benedictio*, Ignem sui amoris.

Lectio VI.

NOn miremini, fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audivisse, Paulum inter maxima gentium crimina memorantem quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariæ visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat; Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid

non

non ſperabat continuo reſurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc ſapientia, ut mireris plus Mariam compatientem quam Mariæ filium patientē? Ille etiā mori corpore potuit iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.

℞, Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inhærendo lateri tuo, ſangvis tuus ſangvinem meum tangat, & tergat * Ut fons aquæ tuæ de ſcaturigine recti cordis, per venas boni operis in finem æternæ felicitatis exiliat!

℣. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Ut fons. Gloria Patri Ut fons.

In III. Nocturno.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum.

Pſalmus, 54.

EXaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationē meam * intende mihi. & exaudi me.

Contriſtatus ſum in exercitatione mea: * & conturbatus ſum a voce inimici. & a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: * & in ira moleſti erant mihi.

Cor meum conturbatum eſt in me: * & formido mortis cecidit ſuper me.

Timor & tremor venerunt ſuper me * & contexerunt me tenebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ

bæ & volabo, & requiescam?

Ecce elongavi fugiens: * & mansi in solitudine.

Expectabam eum.qui salvum me fecit: * a pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Præcipita Domine, divide linguas eorum * quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas * & labor in medio ejus, & injustitia.

Et non defecit de plateis ejus * usura. & dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi,* sustinuissem utique.

Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset: * abscondissem me fortisan ab eo.

Tu vero homo unanimis: [* dux meus, & notus meus:

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: * in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: * & descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: * in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamavi: * & Dominus salvabit me.

Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo: * & exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his qui apropinquant mihi: * quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, & humiliabit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testa-

mentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus: * & appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum: * & ipsi sunt jacula.

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: * non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu vero Deus deduces eos: * in puteum interitus.

Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: * ego autem sperabo in te Domine.

Antiph: Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalmus 87.

DOmine Deus salutis meæ: * in die clamavi, & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * & vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, & in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: * oculi

mei

mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas·

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi!

Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, * & veritatem tuam in perditione!

Nunquid cognoſcentur in tenebris· mirabilia tua: * & juſtitia tua in terra oblivionis.

Et ego ad te Domine clamavi: * & mane oratio mea præveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam:* avertis faciem tuam a mé?

Pauper ſum ego. & in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus ſum: & conturbatus.

In me tranſierunt iræ tuæ: * & terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me ſicut aqua tota die: * circumdederunt me ſimul.

Elongaſti a me amicum & proximum: * & notos meos a miſericordia.

Antiph. Factus ſum ſicut homo ſine adjutorie, inter mortuos liber.

Antiph. Replevit me amaritudine, inebriavit me abſynthio.

Pſalmus 108.

DEus laudem meam ne tacueris: * quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Locuti ſunt adverſme ſum lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me: * expugnaverunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. * ego autem orabam

Et

Et poluerunt adversum me mala pro bonis: * & odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorem:* & diabolus stet a dextris ejus.

Cum judicatur, exeat condemnatus: * & oratio ejus fiat in peccatum.

Fiant dies ejus pauci: * & episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus orphani:* & uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent: * & ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: * & diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor: * nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum: * in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: * & peccatum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: * pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Et persecutus est hominem inopem, & mendicum: * & compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum: * & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: * & sicut zona, qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: * & qui loquuntur mala adversus animam meam. Et

Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum * quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus & pauper ego sum: * & cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra cum declinat, ablatus sum* & excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a jejunio * & caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illi: * viderunt me, & moverunt capita sua.

Adjuva me Domine Deus meus: * salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciat quia manus tua hæc:*& tu Domine fecisti eam.

Maledicent illi, & tu benedices: * qui insurgunt in me, confundantur:: servus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi, pudore: * & operiantur sicut diploide confusione sua.

Confitebor domino nimis in ore meo: * & in medio multorum laudabo eum.

Quia astitit a dextris pauperis: * ut salvum faceret a persequentibus animam meam.

Antiph: Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio.

℣. Deus vitam anaunciavi tibi.

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Pater noster. *Absolutio.* A vinculis.

℣. Jube Domine. *Benedictio.* Evangelica lectio:

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19. c

IN illo tempore: stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Ma-

Maria Magdalena. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractat: 119. in Joan:

HÆc nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixerat Matri: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat. quæ tunc nondum venerat in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana jam patiens ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano: moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet. & exemplo suo suos Ministros instruxit Præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

℞. Doleo super te fili mi: Jesu, decorus nimis, & amabilis super amorem mulierum! * Sicut enim mater unicum diligit filium, ita te diligebam. ℣. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut enim.

Benedictio. Cujus Festum colimus.

Lectio VIII.

EX hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat: Si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti, ipse Magister sanctorum de se ipso constituerat exemplum quando

do ut non famulæ Deus, quam creaverat, & regebat, sed ut Matri homo de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

℟. Eja mater fons amoris. fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus: * Et Dominicæ Passionis fructus sentiamus.

℣. Ut sicut filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, & resurrexit: ita & nos commortui cum eodem resurgamus. Et Dominicæ. Gloria Patri. Et Dominicæ *Benedictio* Per Evangelica dicta.

Lectio S. Evangelij secundum Joannem.

Lectio IX. Cap: 11. f.

IN illo tempore: collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium adversus Jesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract: 40 in Ioan. sub finem:

POntifices & Pharisæi sibi consulebant, nec tamen dicebant: credamus: Plus enim perditi homines cogitabant, quomodo sibi consulerent, ne perderent & tamen timebant & quasi consulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt; ac sic utrumque amiserunt.

Te Deum ladamus.

AD LAUDES

& per horas.

Antiph: Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.

Psalmus Dominus regnavit &c. *cum reliquis*

Antiph: Dilectus meus candidus comæ capitis ejus sicut purpura Regis vincta canalibûs.
Antiph: Quo abiit dilectus tuus, O pulcherrima mulierum; quo dilectus tuus declinavit.
Antiph: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.
Antiph: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langveo.

Capitulum Isaiæ 53.

QVis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendit sicut radix de terra sitienti.

Hymnus:

VIrgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis ejus sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus, & accensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die judicii.
Fac me Cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiá,
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo gloriosissima.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus antiphona.

CUm vidisset Jesus Matrem, stantem juxta Crucem, & Discipulum, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo ecce Mater tua.

Oratio.

DEus in cujus Passione, secundum Simeonis pro-

Prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius. ut qui transfixionem ejus & passionem venerando recolimus, gloriosis meritis & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas.

Et fit commemoratio Feriæ Antiph. Appropinquabat autem dies festus Judæorum: & quærebant Principes Sacerdotum: quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem.

℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

Oratio.

CORdibus nostris, quæsumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam supplicis deputemur æternis Per Dominum nostrum. &c.

Ad Completorium, & per Horas, in fine Hymnorum dicitur.

Jesu Tibi sit gloria. Qui natus es de Virgine &c

Ad Primam.

Vadam ad montem.

℟. *Breve*: Christe Fili Dei vivi, Miserere nobis Christe

℣. Qui passus es pro homine. Miserere. Gloria Christe Fili Dei vivi miserere nobis,

℣. Exurge Christe; adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Ad Tertiam Antiph. Dilectus meus.

Capitulum.

Quis credidit? *ut in pagina* 84.

℟. Posuit me desolatam. Posuit.

℣. Tota die mœrore confectam Desolatam. Gloria. Posuit

℣. Facies mea intumulti a fletu.

℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Ad Sextam Antiphona.

Quo abiit.

Capitulum Isaiæ 53. b.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

℟. *breve* Facies mea* Intumuit a fletu. Facies. Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit, Gloria Facies.

℣. Deus vitam meam annuntiavi tibi.

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ad Nonam Antiph: Fulcite me floribus.

Capitulum Isaiæ 53. c

Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

℟. *breve.* Deus vitam meam, anuntiavi tibi, Deus vitam meam.

℣. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Annuntiavi. Gloria. Deus vitam meam.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

IN SECUND: VESPER:

Omnia ut in primis.

Ad Magnificat Antiphona.

Cum vidisset Jesus Matrem stantem juxta crucem, & discipulum quem diligebat, dicit Matri suæ Mulier: ecce Filius tuus Deinde Discipulo: Ecce Mater tua.

Et fit commemoratio Feriæ

Antiph: Principes Sacerdotum consilium fecerunt, ut Jesum occiderunt.

di-

dicebant autem. Non in die festo, ne forte tumulus fieret in populo.

℣. Eripe me Domine ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me. *Oratio.*

Concede, quæsumus Omnipotens Deus: ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per Dominum nostrum &c.

Dominica II. post Pascha sub Ritu duplici.

In Festo SSmi SEPUCHRI CHRISTI Hierosolymitani.

AD VESPERAS

Antiph: Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est. Alleluja.

Psalmus Dixit Dominus &c: *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi.* Laudate Dominū omnes gentes.

Antiph: Introibimus in Tabernaculum ejus adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Allel:

Antiph: Quis ascendet in Montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus. Alleluja.

Antiph: O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud, nisi Dominus Dei, & Porta Cœli. Alleluja.

Antiph: Ne appropies huc solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas. Terra Sancta est. Alleluja.

Capitulum.

Cum consummassent omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eū de ligno, posuerant eum in monumento.

Hy-

Hymnus

SAcri Sepulchri gloriam
Christi triumphis inclytam,
Dulci repleti gaudio
Lætis canamus vocibꝰ.
Hujus vetustis sæculis,
Dedit Cisterna symbolum,
Quo missus olim, Carcerem Joseph habebat innocens.
Hoc quem fidelis fortiũ,
Ambit caterva militum,
A Rege docto conditus
Expressit olim lectulus.
Hoc, & tuus Daniel lacꝰ
Et quæ sopore languidum,
Jonam Ratis portaverat,
Hoc in figura nuntiat.
O Petra gemmis carior!
Thesaure conctis ditior
Qualem nec aula Principum,
Nec gaza claudit divitum.
Nam tu nec auri munera,
Nec Principum fluxas opes,
Sed illud immensum sacri
Pretium tulisti Corporis.
At Christe ditas qui Tuũ
Caro Sepulchrum sangvine,
Tuos (rogamus) servulos
Donis Tuis fac divites.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, quia a mortuis
Surrexit, ac Paracleto
In sempiterna sæcula. A.

℣. Tuum Sepulchrum adoramus Dne Alleluja.
℟. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectioné Alleluja.

Ad Magnificat

Antiph: Deponentes Dominum de Cruce posuerunt cum in monumento, quod erat excisũ in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

Oratio,

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, & in Sepulchro depositus

ſitus, tertia die reſurge-re voluiſti, concede famulis tuis, ut qui Sepulchri Tui memoriam recolimus, reſurrectionis quoque gloriæ participes eſſe mereamur. Qui vivis & regnas &c.

AD MATUTINUM

Invitatorium

Surrexit Dominus de Sepulchro * Alleluja.

Pſalm. Venite exultemꝰ

Hymnus ut Veſperis.

In I *Nocturno.*

Antyph. En lectulum Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, Alleluia.

Pſalmi, ut in Feſto Dedicationis Eccleſiæ ſub una Antiphona.

℣. Ipſum gentes deprecabantur. Alleluja.

℟. Et erit Sepulchrum ejus glorioſum. Alleluja.

Pater noſter. *Abſolutio,* Exaudi Domine.

De Actibus Apoſtolor:

Lect: I. Cap. 13.

VIri Fratres generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis Verbum ſalutis hujus miſſum eſt. Qui enim habitabant Jeruſalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omnes leguntur, judicantes impleverunt, & nullam cauſam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque conſumaſſent omnia, quæ de ipſo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento. Deus vero ſuſcitavit eum a mortuis tertia die qui viſus eſt per multos dies his, qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem.

℟. Deponentes Dominum de Cruce poſuerut eum in monumento, quod

erat

erat excisum de petra. Alleluja.

* Signantes illud cum Custodibus. Alleluja.

℣. Abeuntes Judei muniverunt Sepulchrum. advolventes lapidem ad ostium monumenti. * Signantes illud.

Lectio II.

ET nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum. sicut, & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem. ita dixit. quia dabo vobis Sancta David fidelia. Ideoque, & alias dicit: non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit, & appositus est ad Patres suos. & vidit corruptionem Quem vero Deus suscitavit a mortuis non vidit corruptionem.

℟. Sepulto Domino, signatum est monumentum. volventes lapidem ad ostium monumenti. Alleluja: * Ponentes milites, qui custodirent illud.

℣. Accedentes principes Sacerdotum ad Pilatum, petierunt illud * Ponentes &c.

Lectio III.

NOtum igitur sit vobis Viri Fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit. justificatur. Videte ergo. ne superveniat vobis. quid dictum est in Prophetis: Videte Contemptores & admiramini, & disperdimini,

quia

quia opus ego operior in diebus vestris: opus quod non credetis si quis enarraverit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant, ut sequenti Sabbato, loquerentur sibi verba hæc. Cumque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judæorum & colentium advenarum Paulum & Barnabam: qui loquentes svadebant eis, ut permanerent in gratia Dei: Sequenti vero Sabato pene universa Civitas convenit audire verbum Dei.

℟. Acceperunt Corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, & sepelierunt in monumento novo. * In quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

℣. Venit Joseph cum Nicodemo, & tulerunt Corpus Jesu, & sepelierunt illud in monumento novo. * In quo &c Gloria Patri. In quo.

In II. Nocturno.

Antiph: Super muros tuos Jerusalem, constitui Custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Domini.

Psalmi ut in Festo Dedicationis

℣. Factus est in pace locus ejus Alleluja.

℟. Et habitatio ejus in Sion: Alleluja.

Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas.

Lectio IV.

Sermo S. Bernar: Abb:
De Sepulchro Cap: II.

INter Sancta & desiderabilia loca, Sepulchrũ Christi, tenet quodam modo principatum, & devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit quam ubi vivens conversatus est, atque amplius movet ad pietatem, mortis quam vitæ recordatio, puto quod illa austerior, hæc dulcior videtur

tur. magisque infirmitati blanditur humanæ quies dormitionis, quam labor conversationis, mortis securitas, quam vitæ rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula extitit: mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit: vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa: utraque vero ad modum necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat, sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti! Nunquid denique ut mors Christi, etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte æterna liberat aut mortuos ante Christũ Sanctos Patres vitæ sanctitatis liberavit? Sicut scriptum est: Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferni? Nunc ergo quia utrumq; nobis pariter necessarium erat, & pie vivere, & secure mori; & vivendo vivere docuit, & mortem moriendo securam reddidit: quoniam quidem resurrecturus occubuit, & spem fecit morientibus resurgendi.

℟. Mulieres venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverunt aromata.* Et invenerunt lapidem revolutum a monumento. Alleluja.

℣. Et factum est, dum mente consternatæ essent, ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgenti. * Et invenerunt.

Lectio V.

Sive itaque hæc sive alia quæcunque in hunc modum, (prout in talibus in suo quisque abundat sensu.) ex occasione Sepulchri Christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur cõminus intuenti, nec pa-

rum proficitur, cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicæ quietis. Et si quippe jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris, & jucundis admodum Sacramentis. Nostris, inquam nostris, si tamen tam ardenter amplectimur, quam indubitanter tenemus, quod Apostolus ait. Consepulti sumus enim per Baptismum in mortem ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & Resurrectionis erimus.

℟. Angelus Domini locutus est Mulieribus, dicens: Quem quæritis: an Iesum quæritis? jam surrexit. * Venite & videte locum, Alleluja.

℣. Jesum quærimus Nazarenum Crucifixum surrexit non est hic * Venite.

Lectio VI.

QVam dulce est peregrinis, post multam longi itineris fagitationem post plurima terra, mariq; pericula. Ibi tandem quiescere, ibi & agnoscitur suum Dominum quievisse? Puto jam præ gaudio non sentiunt viæ laborem, nec gravamen reputant expensarum, sed tanquam laboris præmium cursusve bravium assecuti juxta Scripturæ sententiam, gaudent vehementer cum inveniunt Sepulchrum. Nec casu, vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen Sepulchrum natum esse putetur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus, Esaias tam aperte prædixit. Et erit, inquit, in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes de-

precabuntur, & erit Sepulchrum eius gloriosum. Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum, novum quidē intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, & de vetustate non desit auctoritas.

℟. Dum transiret Sabbatum, Maria Magdalene Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata.* Ut veniéntes ungerent Jesum. Alleluja.

℣. Et valde mane una Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. Ut venientes. Gloria Patri. Vt venientes

In III. Nocturno.

Antiph: Et tronus ejus sicut Sol in conspectu meo & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in Cælo fidelis· Alleluja.

Psalmi ut in Festo Dedicationis.

℣· Erit mihi Dominus in Deum. Alleluja.

℟. Et lapis iste vocabitur Domus Dei. Allel: Pater noster. *Absolutio.* A vinculis &c.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cap: 24.

IN illo tempore: Vna Sabbati valde diluculo. venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverunt aromata. Et reliqua.

Homilia s. Augustini Episcopi.

Sabbato in vigilia Paschæ de Joseph: Sermo 50.

CUm Maria Magdalena venisset ad monumentum, quam memorem Salvatoris, amissā fide, devotio in lachrymas compellebat, videns revolutum a foribus lapidem, cū non invenisset in Sepulchro Dominum, cæpit acrius dolere· quod perdiderit defunctum, mox au-

tem

tem ad Petrum ejus Discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate vel fidei; maior de eius obitu cura tangebat, nuntiat inane Sepulchrum, quæritur Corpus ablatum; Petrus vero Resurrectionis Filii Dei, & ante Crucem conscius, quam prædixexerat ipse passurus, sub tali Nuntio non flevit aut doluit, sed morem suum in Divinis virtutibus servans, properat experiri, quod credidit.

℟. Tulerunt Dominũ meum, & nescio ubi posuerunt eum: dicunt ei Angeli: mulier quid ploras! surrexit sicut dixit, * Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Alleluja.

℣. Cum ergo fleret, inclinavit se & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei. Præcedet vos.

Lectio VIII.

AD Sepulchrum itaque Domini, celeri cursu festinat lætior rediturus, si non inveniret quod quærebat. Beatus autem Evangelista, & ex consequentibus probat potentiam Resurgentis. Venit inquit Simon Petrus, & introivit in monumentum & cum non invenisset Dominum, vidit linteamina posita, & Sudarium, quod fuerat super caput ejus: nam manifestius Deus perlaturus, quem vivificaverat in Cælum, & mortem evacuat & Sepulchrum. Nam linteamine quo funus tenebatur exposito, relinquit terræ exuvias, vitali jam corpore induta majestas.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia quem quærebam, apparuit mihi. * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominũ. Alleluja. ℣.

℣. Recedentibus Discipulis, non recedebam. & amoris ejus igne succensa ardebam desiderio* Et dum flerem. Gloria Patri. Et dum flerem.

Lectio IX.

De Homilia Dominica II post Pascha.

AD LAUDES
& per Horas.

Antiph. Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi eius, in atriis Domûs Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluja. *Psalmus* Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica.*

Antiph: Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. All:

Antiph: Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint Sepulchrum. Alleluja.

Antiph: Tollite hostias & introite in atria ejus, adorate Dominum in Atrio Sancto eius. Alleluia.

Antiph: In Sole posuit tabernaculum suum & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. Alleluja.

Capitulum.

Cum consumassent omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento.

AUdite tristes inferi,
Turbæ frementes hostium,
Vestræ ruinæ nuntium,
Sacri Sepulchri gloriã.
En iam futuri conscius
Illam Propheta præcinit,
Et gloriosum posteris
Narrat Sepulchrũ sæculis.
Hic ille Rex fortissimus,
Fractis averni viribus,
Et mortis excusso jugo,
Primum trophea suscitat.

Cano

Candore tectus vestium,
Novoque lucis fulgure,
Delapsus astris Nuntius
Hic excubavit Angelus:
Iam temperandum lachrymis,
Satis datum suspiriis,
Gravi dolore sauciæ
Hic audierunt Fæminæ.
Et vos Magistri funere,
Plane simul commortui,
Vestro dolori gaudium
Tulistis hic Apostoli,
Tu vero Christe maxime
Tui Sepulchri gloria
Mortem resurgens viceras
Nos morte culpæ libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Dum esset Rex in accubitu suo Alleluia.

℞. Nardus mea dedit odorem suavitatis. Alleluia.

Ad Benedictus:

Antiph. Abeuntes Judæi munierunt Sepulchrum, advolventes lapidem ad ostium monumenti, & signantes eum cum custodibus Alleluia.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, & in sepulchro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis, ut qui Sepulchri Tui memoriam recolimus, resurrectionis quoque gloriæ participes esse mereamur, Qui vivis & regnas &c.

Ad I. Antiphona ex Laudibus. In ℞. brevi dicitur.

℣. Qui surrexisti a mortuis Alleluia Alleluia.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis: Una Sabbati &c, *ut infra ad Nonam.*

Ad Tertiam.

Antiph. Ingredieris. *ut supra.* *Capitulum* Cum Consummassent, *ut in Laudibus.*

℟. Tuum Sepulchrum adoramus Domine * Alleluia Alleluia. Tuum Sepulchrum &c.

℣. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectioné. Alleluia Alleluia. Gloria Patri. Tuum Sepulchrum.

℣. Vere locus iste Sanctus est Alleluia

℟. Et ego nesciebam. Alleluia.

Ad Sextam

Antiph. Qui expectant.

Capitulum

Et accepto Corpore Joseph, involvit illud in Sindone munda, & posuit in monumento suo novo. quod exciderat in petra.

℟. Vere locus iste Sanctus est Alleluia Alleluia. Vere locus.

℣. Et Ego nesciebam Alleluia. Alleluia. Gloria Patri. Vere locus.

℣. Te decet hymnus Deus in Sion Alleluia.

℟. Et tibi reddetur votum in Ierusalem. Alleluia.

Ad Nonam.

Antiph In sole posuit.

Capitulum.

Una Sabbathi valde diluculo, venerunt mulieres ad monumetum, portantes quæ paraverunt aromata, & invenerunt lapidem revolutum in monumento.

℣ Te decet hymnus Deus in Sion * Alleluia All: Te decet.

℣. Et tibi reddetur votum in Ierusalem. Alleluia Alleluia. Gloria Patri. Te decet.

℣. Lapidem quem reprobaverunt Alleluia.

℟. Hic factus est in in caput anguli Alleluia.

Ad Vesperas Antiphonæ, ut in primis Vespe-

vis,: Psalmi de Dominica, & loco ultimi Psalmus sequens.

Psalmus 136.

SUper flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus. * cum recordaremur Sion:

In salicibus in medio ejus, * suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, * verba cantionum:

Et qui adduxerunt nos * Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini * in terra aliena?

Si oblitus fuero tui Ierusalem, * oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, * si non meminero tui:

Si non proposuero Ierusalem, * in principio lætitiæ meæ.

Memor esto Domine filiorum Edom, * in die Ierusalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite * usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera: * beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit, * & allidet parvulos tuos ad petram

Capitulum & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Ipsum gentes deprecabuntur Alleluia.

℟. Et erit sepulchrum eius gloriosum. Alleluia.

Ad Magnificat,

Antiph. Introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem sedentem a dextris, coopertum Stola candida & obstupuerunt: Alleluia.

Oratio ut supra

DOMINICA III. post Pascha.

Patrocinium S. JOSEPH

Duplex II. Classis.

AD VESPERAS.

Antiph. Jacob autem genuit *Cum reliquis de Laudibus*

Psalmus Dixit Dominus *cum reliquis & loco ultimi. Laudate Dominum.*

Capitulum Genesis 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum ejus, donec veniret desiderium Collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

TE Ioseph celebrent agmina Cælitum,
Te cuncti resonent Christia dum chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini
Almo cum tumidam germine Conjugem,
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus, Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis ad exteras
Ægypti profugum: tu sequeris plagas,
Amissum Solymis quæris & invenis, Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos, gloria suscipit:
Tu vivens Superis, par frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis Sidera scaddere:
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

℟. ℣. Constituit eum Dominum Domus suæ Alleluia.

℟. Et Principem omnis possessionis suæ. Alleluia.

Ad Magnificat Antiphona

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de spiritu Sancto Alleluia.

Oratio:

Deus qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es, præsta quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in Cælis. Qui vivis & regnas &c.

Et fit Commemoratio Dominicæ.

AD MATUTINUM

Invitatorium.

Laudemus Deum nostrum * In veneratione Beati Joseph Protectoris nostri Alleluia.

Hymnus.

Te Josephcelebrent agmina Cælitum.

in I. Nocturno

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens. Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Alleluia.

℣. Confitebor Nomini tuo Alleluia.

℟. Quoniam adjutor, & protector factus es mihi. Alleluia.

De Libro Genesis.

Lectio I. Cap. 39.

IGitur Joseph ductus est in Egyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis Princeps Exercitus, Vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat Vir in cun-

ctis prospere agens: Habitavitque in Domo Domini Sui, qui optime noverát Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum & universa, quæ ei tradita fuerant, benedixitque Dominus Domui Ægyptii propter Joseph. & multiplicavit tam in Ædibus, quam in agris cunctam ejus substantiam, nec quid quam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.

℟. Clamavit populus ad Regem, alimenta petens, * Quibus ille respondit: ite ad Joseph. Alleluia.

℣. Salus nostra in manu tua est, respice nos tantum, & læti serviemus Regi. Quibus ille &c.

Lectio II. Cap: 41.

Placuit Pharaoni consilium & cunctis Ministris ejus: Locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem Virum, qui Spiritu Dei plenus sit? dixit ergo ad Joseph. Quia ostendit Tibi Deus omnia: quæ locutus es, nunquid sapientiorem. & consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obediet: uno tantum Regni solio Te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui Te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivitque eum Stola byssina, & collo torquem auream circumposuit; Fecitque eum ascendere super Currum suum secundum

ctum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, & Dominum universæ domûs ejus, * Exaltavit me ut salvos faceret multos populos Alleluia.

℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti. ut comedatis medullam terræ. Exaltavit me: &c.

Lectio III. Cap. 41.

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharao. absque tuo imperio non movebis quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatoris mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuivit omnes Regiones Ægypti Venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

℟. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam & superstitem te relinquo, non sum fraudatus aspectu tuo * Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, Alleluia.

℣. Qui pascit me ab adolescentia mea benedicam pueris istis, & invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

In secundo Nocturno.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge & accipe Puerum, & Matrem ejus, vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri. Alleluia.

℣. Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam. Alleluia.

℣. Et perfice eam. Alleluia.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Sermo 1. de S. Joseph.

Lectio IV.

OMnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum generalis regula est, quod quandocunque Divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu aliquem sublimem statum, omnia charismata donat, quæ illi Personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorant, quod maximè verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, & vero Sponso Reginæ mundi & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutritius; atque custos principalium Thesaurorum suorum, scilicet Filij ejus, & Sponsæ suæ, quod officium fidelissimè prosecutus est. Cui propterea Dominus ait, Serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ. & dextera tua suscepit me * Protector meus, & cornu salutis meæ & susceptor meus. Alleluia.

℣. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Protector.

Lectio V.

SI compares eum ad totam Ecclesiam Christi

sti, nonnê iste est homo electus & specialis, per quem, & sub quo Christus est ordinato, & honeste introductus in mundum? sicut ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profecto post eam, huic debet gratiam & reverentiam singularem. Ipse enim est Clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis & Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed hic illum præcellit, quia non solum Ægyptijs panem corporalis vitæ sed omnibus electis, Panem de Cælo qui cælestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet illos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur; protegetur sub tegmine illius à fervore, * Et in gloria ejus requiescet Alleluia.

℣. Sperate in eum omnis Congregatio populi; effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio VI.

PRofecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum agebat in humanis tanquam Filius Patri suo in Cælis utique non negavit, quin potius complevit & consummavit, unde non immerito in verbo proposito à Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui; unde licet gaudium æternæ Beatitu-

dinis

dinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: in gaudium: ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo est intra, sed undique illum circumdans & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, B. Joseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed & Beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Tu autem Domine &c.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. * Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, Alleluia.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat Gloria Patri. Si exurgat:

In III: Nocturno.

Antiph. Consurgens Joseph accepit Puerum & Matrem ejus, & venit in terram Israel & habitavit in Civitate quæ vocatur Nazareth. Alleluia.

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, Alleluia.

℟. Ut non relinquat me in die tribulationis, Alleluia.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. cap. 3.

IN illo tempore: Factum est autem cum baptizaretur omnis populus & Iesu Baptizato, & orante: apertum est Cœlum. Et reliqua.

Hemilia S. Augustini Episcopi.

Libro 2. de consens. Evangel C. 1 & 2.

Ma-

MAnifestum est illud, ait, ut putabatur Filius Joseph, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alij homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet quod alios progenitores Matthæus enumerat, descendens á David usque ad Joseph: alios autem Lucas ascendens á Joseph usque ad David; facile est ut advertant duos Patres habere potuisse Joseph, unum á quo genitus, alterum á quo fuerit adoptatus antiqua .est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non-ipsi genuissent. Unde intellgitur Lucas, Patrem Joseph, non a quo genitus sed á quo fuerat adôptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David. Tu autem &c.

℟. Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sáncto est, pariet autem filium * Et vocabis nomen ejus Jesum Alleluia.

℣. Jpse enim salvum faciet Populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio. VIII.

CUm enim necesse sit utroque Evangelista vera narrante & Mathæo scilicet & Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat, alter ejus qui adoptaverat Joseph, quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Mathæus autem dicens;

Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob: atq; ita in hoc verbo quod est: genuit perservans, donec in ultimo diceret Iacob autem genuit Joseph, satis expressit ad eum Patrem se perduxisse originem generantium, á quo Joseph non adoptatus sed genitus erat. Quanquam si enim Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantē Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur, non Carne, sed Charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri: de natura atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit. Tu autem &c.

℟. Surge & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in AEgyptum. * Et esto ibi usque dum dicam tibi Alleluia.

℣. Ut adimpleretur, quod dictum est á Domino per Prophetam dicentem. Ex AEgypto vocavi filium. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

IX. Lectio de Homilia Dominica tertia post Pascha.

AD LAUDES.

& per Horas.

Antiph. Jacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus Alleluia.

Psalmus Dominus regnavit &c.

cum reliquis

Antiph. Missus est Angelus Gabriel á Deo in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ap

Vir-

Virginem desponsatã Viro, cui nomen erat Joseph, Alleluia.

Antiph, Et venerunt festinantes & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio Alleluia.

Antibh. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur Filius Ioseph, All.

Antiph. Ascendit autem Joseph à Galilea de Civitate Nazareth in Iudæam Civitatem David, quæ vocatur Bethleém, Alleluia.

Capitulum.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum eius, donec veniret desiderium Collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus.

CÆlitum Jóseph decus, atque nostræ
Certa spes vitæ; columenq; mundi,
Quas tibi læti canimus benignus,
Suscipe laudes.
Te Sator rerum, statuit pudicæ
Virginis Sponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit & ministrum
Esse salutis.
Tu redemptorem stabulo iacentem
Quem Chorus vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras;
Rex Deus Regum, Dominator Orbis,
Cuius ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi subdit:
Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ Amen

Des

℣. Dedit mihi protectionem salutis, Alleluia.

℟. Et dextera tua suscepit me Alleluia.

Ad Benedictus Antiphona.

Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, Alleluia.

Oratio.

DEus, qui ineffabili Providentia Beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es, præsta quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in Cælis Qui vivis & regnas &c.

Et fit commemoratio Dominicæ.

Ad Tertiam.

Capitulum

Benedictiones Patris tui &c.

℟. *breve.* Constituit eum Dominum Domûs suæ. Alleluia. Alleluia. Constituit.

℣. Et principem omnis possessionis suæ. Alleluia. Alleluia. Gloria Patri &c. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo, Alleluia.

Quoniam adjutor & Protector factus es mihi Alleluia.

Ad, Sextam.

Antiph. Et venerunt,

Capitulum. Genesis 49.

DEus Patris tui erit adjutor tuus, Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cæli desuper.

℟. *breve.* Confitebor nomini tuo * Alleluia Alleluia. Confitebor.

℣. Quoniam Adiutor & Protector factus es mihi, Alleluia.

Gloria Patri &c Confitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium. Alleluia.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum, All:

Ad Nonam.

Antiph. Ascendit autem.
Capitulum Genesis 49.

Filius accrescens Joseph, Filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

℟. *breve.* Iustus germinabit, sicut lilium. Alleluia Alleluia, Iustus germinabit.

℣. Et florebit in æternum ante Dominum, Alleluia. Gloria Patri Iustus.

℣. Plantatus in Domo Domini. Alleluia.

℟. In atriis domûs Dei nostri. Alleluia.

in II. Vesperis omnia ut in primis: exceptis sequentibus.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, Alleluia.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Alleluia.

Oratio ut pagina. 110.

Nona Lectio de S. Symphorosa &c. MM.

Die XVIII. *Iulii.*

IN FESTO

S. CAMILLI DE LELLIS.

CONFESSORIS

Cleric. Regul. Ministr. Infirm. Fund.

SEMIDUPLEX

Omnia de Comm. Confessoris non Pontificis, exceptis iis, quæ sequuntur:

Oratio.

Deus, qui Sanctum Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativa decorasti: ejus quæsumus, meritis Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, & ad cælestem mereamur coronam pervenire. Per Do-

Dominum nostrum. in unitate ejusdem.

Postea fit commemoratio SS. Simphorosæ & Filiorum Martirum, ut in Breviario. Ad Matutinum in Hymno, Iste Confessor, *dicatur* Meruit supremos Laudis honores.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Camillus Bucclaniei Theatinæ Diœcesis oppido ex nobili Lelliorum familia natus est, Matre saxagenaria cui gravidæ visum est per quietem, puerulum Crucis signo in Pectore munitum, & agmini puerorum idem signum gestantium præeuntem, se peperisse. Adolescens rem militarem sequutus, sæculi vitiis aliquandiu indulsit; donec vigesimum quintum agens ætatis annum tanto supernæ gratiæ lumine, Divinæque offensæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, anteactæ vitæ sordes indesinenter abstergere, novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis Beatissimæ Virginis festo die, ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur summis precibus exoravit. Voti compos semel, atque iterum factus est; sed fœdo ulcere, quo aliquando laboraverat in ejus tibia iterato recrudescente, Divinæ Providentiæ maiora de eo disponentis consilio humiliter se subiecit, suique victor, illius Religionis bis expetitum, & susceptum habitum bis dimisit. *Resp.* Honestum fecit.

Lecti-

Lectio V.

ROmam profectus, in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est, cujus etiam administrationē, ob perspectas, ejus virtutes, sibi demandatam, summa integritate, ac solicitudine verè paterna peregit. Omnium ægrorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus, & cohortationibus opem ferre, solemne habuit: quibus in muneribus præclara præbuit admirabilis patientiæ, invictæ fortitudinis, & hæroicæ charitatis exempla. Verum cum animarum in extremis periclitantium, quod unicè intendebat, levamini subsidiū litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus in primis grammaticæ elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea ritè initiatus, nonnullis sibi adjunctis sociis, prima jecit Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium fundamenta, irrito conatu obnitente humani generis hoste: Nam Cammillus cælesti voce é Christi crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando prodigio protendentis, Simulacro emissa mirabiliter confirmatus, Ordinem suum á Sede Apostolica approbari obtinuit. Sodalibus quarto obstrictis maximé arduo voto, Infirmis, quos etiam pestis infecerit ministrandi. Quod institutum, quam foret Deo acceptum, & animarum saluti proficuum, sanctus Philippus Nerius, qui Camillo á sacris confessionibus erat, comprobavit, dum ejus

alum

alumnis decdeentiū ago-ni opem ferentibus Angelos suggerentes verba sæpius se vidisse testatus est. *Resp.* Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

ARctioribus hisce vinculis ægrotantiū ministerio mancipatus, mirum est qua alacritate, nullis fractus laboribus nullis deterritus vitæ periculis, diu noctuque ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quæque officia demississimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari, promptoque animo arripiebat: utque omnium indigentiis præsto esset, Generalem Ordinis Præfecturam, cœlique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat sponte dimisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum & Urbs contagioso morbo primum deinde extrema annonæ laboraret inopia, & Nolæ in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum, & proximorum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari & Angelorum opem in vario itinerum discrimine experiri promereretur. Prophetiæ dono & gratia sanitatum præditus, arcana quoque cordium inspexit, ejusq; precibꝰ nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, ieiuniis, & assiduis atritus laboribus, cum pelle tantum, & ossibus constare videretur, quinque molestis æque ac diutini morbis, quos Misericordias Domini appelabat fortiter toleratis. Sacramen-

mentis munitus, Romæ inter suavissima Jesu & Mariæ nomina, ad ea verba: Mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qua præd xerat hora, obdormivit in Domino pridie Idus Julii, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto, ætatis suæ sexagesimo quinto: Quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Decimus quartus solemni ritu Sanctorum fastis ad scripsit.

Resp. Iste homo perfecit.

In tertio nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII *cap.* 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 83 *in Jo. Evang.*

QUid putamus, Fratres mei numquidnam solum ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est & aliud majus, ut diligamus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apostolus, dicens: Manent autem Fides, Spes Charitas tria hae; major autem horum Charitas. Et si in Charitate, hoc est, in dilectione, concludūtur duo illa præcepta, major tamen dicta est esse, non sola. De Fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de Spe: Quis potest cunċta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur, quod ait idem Apostolus: Plenitudo legis Charitas.

Resp. Iste est qui ante.

Lectio VIII.

UBi ergo Charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Dœmon credit, nec diligit: nemo diligit qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam qui non diligit: Itaque ubi dilectio est, ibi necessario Fides. & Spes: & ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam se ipsum! quandoquidem non diligit & se ipsum est quippe impius. & iniquus: qui autem diligit iniquitatē, non plane diligit, sed odit animam suam. *Resp.* Sint lumbi vestri,

Lectio IX. *de SS. Symphorosa & VII. Filiis mart. de quibꝰ & comm. ad Laudes.*

SYmphorosa Tiburtina Getulii martiris uxor, ex eo septem Filios peperit, Crescentium, Julianum, Nemesium, Primitivū, Justinū, Stacteū & Eugenium. qui omnes propter Christianæ fidei professionem, una cum matre. Adriano Imperatore comprehensi sunt. Quorum pietas multis variisque tentata suppliciis, cum stabilis permaneret, mater, quæ filiis fidei magistra fuerat, dux. eisdem ad martirium extitit. Nam saxo ad collum alligato. in profluentem dejicitur; cujus corpus conquisitum, á fratre ejus Eugenio sepelitur. Postridie ejus diei, qui fuit

decimo-

decimoquinto Kalendas Augusti, septem fratres singuli ad palum alligati, varie sunt interfecti. Crescentio guttur ferro transfigitur: Juliano pectus confoditur: Nemesio cor transverberatur: Primitivo trajicitur umbilicus: Justinus membratim secatur: Stacteus telis configitur: Eugenius á pectore in duas partes dividitur. Ita octo hostiæ Deo gratissimæ sunt immolatæ. Corpora in altissimam foveam proiecta sunt via Tiburtina nono ab Urbe lapide: quæ postea Romam translata, condita sunt in Ecclesia Sancti Angeli in Piscina.

Te Deum laudamus.

Quando autem transfertur, Lectio IX erit.

HOc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus; & quidquid aliud præcepit, faciemus, quoniam quidquid est aliud, hic habemꝰ. Discernitur quippe ista dilectio, ab illa dilectione, qua se invicem diligunt homines: nam ut discerneretur, adjunctum est: Sicut dilexi vos. Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus Pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. Te Deum laudamus.

DIE XVIII. JULII.

In festo Beati SIMONIS de Lipnica Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui beátum Simonem Confessorē tuum Evangelicæ prædicationis gratiá sublimâsti, concede propitius; ut ejus salutaris doctrinæ pabulô nutriti, quæ tibi sunt placita exequentes per semitas justitiæ ad cælestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurenti.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

SImon in Oppido Lipnica Regni Poloniæ, piis honestisque Párentibus natus, ab ineunte ætate non obscuras exhibuit futuræ virtutis significationes; nam Deiparam summo studio colebat; & pueriles & ludos aspernabatur. Cracoviam studiorum causa missus, ibidem summa cum laude versatus est, & bonis artibus, liberalibusque disciplinis eruditus in ea Academia primum gradum obtinuit, sed non ita multo post, cum ordo Minorum Observantium Sancti Ioannis á Capistrano opera, tunc temporis in Poloniam invectus, sanctitatis fama clareret, illud vivendi institutum, ut Deo liberius inserviret, amplexus est.

Lectio V.

IN Religione rerum cœlestium contemplationi assiduo addictus, corpus cilicio, flagellis longaque esurie macerabat, Ferventissimo. erga Deiparam

ramamore actus, plures horas quotidie in precibus eidem fundendis suaviter impendebat, diebusque illi sacris, cilicio quod continenter gestare consuevit, aliud asperius superaddebat. Præ maxima animi demissione, vilissima quæque Cœnobii munera obire, hominum præconia, honoresque fugere, convicia vero, & adversa patientissime ferre, solemne habuit. Castitatis perpetuus custos, á mulierum conspectu semper abhoruit. Delato sibi concionandi munere, tanta eloquentia, tantoque fervore functus est ut plures é vitiorum cœno ad rectam salutis semitam reduxerit, plures etiam ad mundi contemptum pertraxerit.

Lectio VI.

Martyrii æstuans desiderio, in Palestinam non sine magnis itineris incommodis profectus est. Sed spe sublata Martirii, postquam loca illa, in quibus Redemptionis nostræ mysteriu actá sunt, intima, effusasque spiritus consolatione visitasset, Cracoviam reversus est. Ubi consuetis exercitationibus sedulam operam navabat. Denique cum pestilentiæ morbus in eadem Urbe maximè grassaretur, & Simon, ut erat charitatis plenus, ægrotantibus Sacramenta administrare, monita salutis exhibere, quoquo modo opitulari non prætermitteret, eodē & ipse morbo correptus, ad extremum vitæ pervenit, Itaque mortem nihil timens, cupiens dissolvi, & esse cum Christo, oculis in Chrsti é cruce pendentis imaginem defixis, spiritum placidissime Deo reddidit, Anno á partu Virginis millesimo qua-

dringentesimo octuagesimo secundo, quinto deci, mo Kalendas Augusti. Ejus Corpus in Ecclesia S. Bernardini sui Ordinis prope Cracoviam elatū, innumeris cæpit clarere miraculis. Quare paucos post annos, ut Fidelium cultui fieret satis, in nobiliorem locū translatum est. Hunc autem cultum ab hominum memoria eidem exhibitum Apostolica sedes comprobavit.

Nona Lectio de S. Symphorosa &c. MM.

DIE XIX. JULII.

In festo beati JOANIS de Dukla, Conf. P. R. P. Duplex I. Closs. cum Octava.

Omnia de Communi Confess. non Pontif. præter ea quæ sequuntur.

Oratio:

DEus qui beatum Joannem Confessorem tuum eximiæ humilitatis, & patientiæ donis decorâsti: concede propitius, ut ejusdem imitantes exempla, consequamur & præmia. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno.

Lectiones. Beatus vir. &c.

In secundo Nocturno.

Lectio. IV.

JOannes in oppido Dukla Poloniæ Regni honestis parentibus natus, ab infantia futuræ Sanctimoniæ non obscura præbuit indicia: Divina siquidem benedictione præventus, nihil ab uberibus matris suæ in ore frequentius quam Sacro-Sancta Iesu & Mariæ Nomina habere cosuevit. Christianæ perfectionis desideriô incensus, adhuc adolescens Regulam sancti Patris Francisci apud Minores Conventuales professus est; eo successu, ut una cum ætate creverit etiam in

eo

eo eminentiorum virtutum exercitatio; & ob singularem humilitatem; gravitatem morum, & et usam in omnes charitatem Fratribus evaserit acceptissimus. Ad religionis munia inventus maxime idoneus, pluribus Cænobiis ex obedientia præfuit, Leopolitanam Custodiam summa cum laude administravit.

Lectio. V.

A Sancto Ioanne â Capistrano per Casimirum Regem sub Id temporis in Poloniam evocato, Fratribus Minorum de Observantia adscriptus, præconceptam sui expectationem abunde cumulavit. Nam Orationi & Cælestium rerum contemplationi acrius insistere, erga Fratres, ac Proximos nullum charitatis officium prætermittere, in deliciis habuit. Regularis Observantiæ adeo zelator extitit, ut non sine lacrymis vel minimam negligi sanctæ Institutionis partem animadverteret, eoque vel uno libello ditissimus. illum fere quotidie aut ipse per se legeret, aut ab alio sibi perlegi oblectaretur. Nihil illo tolerantius in laboribus, in vigiliis, & voluntaria corporis afflictatione, nihil continentius in victu, & vestitu fuit, Beatum Virginem Mariam singulari prosequebatur devotionis affectu. Ad hæc mirificam diffidentes componendi gratiam, insignem castitatem, & alacrem addidit obediéntiam.

Lectio VI.

PRædicationis vim & efficaciam ad profectum attulit animarum, maxi-

maximè in Ruthenis Schismaticis, & Armenis convertendis, quos ad Catholicæ Fidei unionem revocare omni ope fategit. A cælestis vitæ tramite aberrantes quamvis ex diutino morbo captus oculis, qua concionibus; qua sacris Confessionibus audiendis in viam reducere nunquam destitit: Demum septuagenarius gravium infirmitatum doloribus eximiâ patientia toleratis munitus Ecclesiæ Sacramentis, & Psalmis Pænitentialibus recitatis: Leopoli ipso die festo S. Michaelis Archangeli; obdormivit in Domino, Anno millesimo quadringentesimo quarto. Ejus vitæ, atque obitus Sanctimonia, & miraculorum fama apud Polonos præsertim & Lituanos magno semper in honore fuit. Quare Summus Pontifex Clemens XII. Beati Ioannis cultum ratum habuit; ipsumque á Polonis, & Lithuanis inter primarios Patronos allectum ampliori veneratione coli in posterum Apostolica benignitate concessit.

In tertio Nocturno,

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap 12

IN illo tẽpore. Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrisologi Episc.

HOdie Dominus Evangelici gregis pusilla, & tenera primordia quam blanda exhortatione sit consolatus, audistis. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri Vestro dare Vobis Regnum. Aufert spes anxias dubios tollit eve-

eventus, omnemque propellit & excludit timorem, quando in exordio ipsum regnum nascentibus pollicetur; quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Quis de fructu, quis de vestitu, quis de plebe in censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat? De regno certus, de dominatione securus, satis sibi invidet, qui elevatus ad summa se ad humilia dejicit, ad egena deponit.

Lectio VIII.

SEd scire convenit, Pater iste quis est, vel quod regnum filiis suis repromittit. Quis sit iste Pater, quotidie te confitente cognoscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cælis: qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti ex nihilo fecit celum, terram fundavit ex liquido montes statuit ad stateram, maria inter legitimos terminos sola præcepti auctoritate conclusit: Verum, si regni quod promittit pusillis, desideras noscere qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum.

Lectio IX.

ESse in cælo; mirū est, in cælo vivere est Majestatis, jam regnare in cælo, quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis, & tamen homo, quod æstimare non potes, percepisti Apostolo sic dicente: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et quod te mereri dubitas, habere te, & possidere jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui adeptus est jam

divinâ

divina ? nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala, bonis sunt gratiora collatis.

DIE XX. IULII.

In festo B. CESLAI Confess. Duplex. Omnia de Communi Confess. non Pontif. præter ea quæ sequuntur.

DEus, qui beatum Ceslaum virgineo morum candore præditum, & salutis animarum zelo successum, in diversis Nationum populis operum sanctitate, & fidei propagatione mirabilem effecisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessione simus semper in fide stabiles, & ad te, qui solus es æternæ salutis author, ac largitor, misericordiæ tuæ munere pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno. Lectio de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno Lectio IV.

BEatus Ceslaus sancti Hyacinthi germanus frater è nobilissima Odrovanziorum prosapia in provincia Oppoliensi Diæcesis Wratislaviensis ortus est. Ab ipso ineuntis ætatis principio, plurima futuræ sanctitatis indicia & Christianarum virtutum specimina prodidit. Ingenua, qua pollebat indoles, eximius morum candor, ac pietas illum omnibus non minus amabilem quam admirabilem reddiderunt. Humanioribus literis apprime in pueritia excultus, in Italiam, cum iam adolevisset, ab Ivone Episcopo Cracoviensi Pa-

trono suo missus est, ut ibi Theologiæ & Jurisprudentiæ operam navaret. Post emensum in Italia studiorum curriculum Cracoviam reversus, & ab eodem Ivone Canonicus, & Custos Sandomiriæ in Ecclesia S. Mariæ factus, nihil secundum Deū, prius & antiquius habuit, quam ut vitam non tantum á criminibus, sed etiam á suspicione criminum, undequaque puram & inculpatam duceret, quo aliis præiret exemplô, omnesque Christianas in se exprimeret virtutes, quarum amorem cordibus omnium inserere summopere exoptabat.

Lectio V.

DUm autem omnibus perfecti Canonici officiis jugi solicitudine fungeretur, contigit, ut Ivo Episcopus Romam profecturus, eum sibi itineris comitem adsciverit. Romam appulsus Ceslaus famá, sanctimoniæ & miraculorum Viri Dei Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris auditâ, nil cunctatus, impulsu Spiritûs Sancti mundo nuntium remisit, & áb eodem Sanctissimo Patriarcha, habitum Religionis suscepit; in qua tamquam in fertili agro viri doctrinæ magnitudine, & vitæ sanctitate præstantes, nunquam alii ex aliis continenter propagari, & proseminari desierunt. In Ordinem Prædicatorum cooptatus, ita sub disciplina sancti Patris Dominici profecit, ut tanquam exemplum continentiæ frugalitatis, & obedientiæ omnibus proponeretur. In vigiliis, jejuniis, carnis maceratione, orationibus, aliisque id genus legum sui Ordini observationibus, ita assidue

ſidué erat exercitatus, ut verus, & omnibus ſuis numeris abſolutus Beatiſſimi Patris Dominici Filius videretur.

Lectio VI.

POſt exactum tirocinium, zelô flagrans, ſalutis animarum á ſancto Patriarcha obnixe poſtulavit, ut ad oras septentrionales, quas in tenebris, & in umbra mortis detinebat infidelitatis error, & ignorantia, mitteretur. Voti compos factus primum Pragam Bohemorum metropolim ſe contulit, ibique cum uberrimo animarum lucro, verbum Dei prædicavit & totam illam urbem in admiratione͂ rapuit. Dein totam Sileſiam prædicationis cauſá pedibus circu͂curſans, relicto ubiq; ſuaviſſimo virtutum odore errantes veritatem edocuit, carnales affectus diſſipavit, peccatores ad pænitentiam pellexit, frigida hominum pectora divino amore inflammavit, copioſumque fructum in horrea Domini, ad cuius gloriam jugiter & unice anhelabat, convexit. Dum Tartari Poloniam & Sileſiam ferro flammaque devaſtarent, pie creditum eſt Ceslaum, qui ſæviente hoſtium furore, in Caſtrum Wratiſlavienſe, una cum aliis Chriſti Fidelibꝰ confugerat, precibus ſuis, ac lacrymis, ad Deum effuſis, hanc urbem defendiſſe. Tande͂ plenus meritis, obit Wratislaviæ in monaſterio ſui Ordinis, annô milleſimô ducenteſimô quadrageſimô ſecundô. Ad ejus ſepulchrum populus venerationis ergo certatim confluere, eique cœpit exhibere cultum quem in Sacra Rituum Congregatione maturo examine perpenſum, Clemens Undecimus Pontifex Maximus approbavit, & univerſo Prædica-

torum

torum Ordini concessit, ut Officium de beato Ceslao celebraret. Quod Clemens Papa Duodecimus ad Regnum Poloniæ & provincias annexas extendit.

IN FESTO BEATI LADISLAI *DE GIELNIOW* CONFESSORIS Ordinis Minorum de Observantia.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter Orationem, & Lectiones II. & III. Nocturni.

ORATIO

DEeus, qui Beatum Ladislaum religiosa perfectione voluisti omnibus prælucere concede propitius, ut ejus exemplo in virtutibus jugiter proficiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

IN SECUNDO NOCTURNO

Lectio IV.

LAdislaus in Oppido Gielnovii Diæcesis Gnesnensis in Polonia natus, mira vitæ innocentia pueritiam transegit. Adhuc adolescens in Ordine Fratrum Minorum Observantiū Sancti Francisci, quorum antiquam disciplinam Sanctus Joannes à Capistrano non diu ante in Polonia propagaverat, solemnia vota nuncupavit. In arrepta religiosæ perfectionis via ita profecit, ut absolutæ sanctitatis exemplar videretur. Assiduis jejuniis, & vigiliis corpus subegit: orationis, & contemplationis gratia charitate, humi-

humilitare, aliisque religiosi hominis virtutibus maxime enituit, ac regularem in primir observantiam ardenti zelo promovit.

Lectio V.

Cum cæteris, sanctitate, zelô ac doctrinâ præluceret, ad regimen sui Ordinis assumptus est: sæpe Custodis Conventus Varsaviensis, & Vicarii Provinciæ Polonæ munus summa cum laude obivit. Divini verbi prædicationi operam navavit egregiam. Præ aliis autem virtutibus obedientiam, ac propriæ voluntatis abdicationè maximé coluit; cum enim ei Cœnobii optio daretur, & Socii, qui famularetur, é Superiorum nutibus pendere se velle professus est. Singulari pietate, ac devotione erga Christi *Domini* Passionem afficiebatur, quæ tam alte ipsius menti hærebat ut illius memoriam suis in concionibus nunquam omitteret.

Lectio VI

Sacro Parasceves die cum de Dominica Passione ad populũ concionem haberet, eique Christi dolores, & cruciatus præ oculis poneret sacratissimum JESUS nomen ingeminas, in extasim raptus est, & super ambonem universo spectante populo elevatus, Mox langvore correptus, plenus meritis, ac omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite, sanctéq; refectus migravit ad Dominũ quarto nonas Maii anno millesimo quingentesimo quinto, & in Ecclesia sui ordinis Varsaviæ sepultus est. Ejus merita, & sanctitatem statim post mortem miraculis Deus compro-

bavit

bavit; præsentemque in suis calamitatibus opem agnoscentes Poloni, & Lithuani inter suos primarios Patronos Beatum Ladislaum adlegerunt. Ipsius cultum Summus Pontifex Benedictus quartusdecimus ratum habuit, & Apostolica auctoritate amplificavit.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 12.

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex. Et reliqua. Homilia Sancti Petri Chrysologi, *quæ incipit:* Hodie Dominus &c. *VI. die infra Octavam Sancti Petri de Alcantara die 24. Octobris in breviario Ordini Minorum.*

Die XXVI. *Septembris*

IN FESTO B. JOSAPHAT

Archiepiscopi & Martyris duplex.

Lectiones propria in secundo Nocturno.

Lectio IV.

BEatus Josaphat Konczewicz Martyr, natus est Anno Millesimo quingentesimo octuagesimo quarto Wlodimiriæ, ubi puer admodum scintilla é Crucifixi imagine ad pectus ejus delapsa ad futuram Sanctitatem initiatus est. Juveniles annos egressus, Vilnæ habitum & disciplinam Religiosam Ordinis S. Basilii Magni ad ædem Sanctissimæ Trinitatis, quã uniti obtinebant suscepit. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

DEinde Sanctæ memoriæ Velamino Rucki se conjunxit, & cum illo plurimum in restauratione Ordinis Sancti Basilii magni, & in Russis ad unionem cum *S*ancta Romana Ecclesia revocandis laboravit. Mirus sui contemptor, alienæ salutis Divinique honoris indefessus zelator. Schismaticorum atq; hæreticorum ita fortunatus ad Ecclesiam aggregator, ut ab illis vulgo nominaretur Raptor animarum. ℞. *Desiderium animæ.*

Lectio VI.

Primum Archimadrita Vilnensis, deinde ArchiEpiscopus Polocensis, & post multos labores, & pericula suscepta, vitam deniq; pro *S*anctaUnione posuit, Vitebscii in Civitâte suæ Diæcesis, Anno Dni: Millesimo Sexagesimo tertio Nam cum post absolutas preces matutinas ex Eclesiâ rediens orationi in terra procumbens vacaret, á plebe schismatica invasus, comprehensus ac pessime tractatus, gravissime in fronte vulneratus; mox securi in Capite ictus, cum adhuc semivivus, manum extulisset; quasi Crucis signo se munire volens plumbi glânde occisus est; & in fluvio Dzvina submersus. Inde Corpus ejus extractum Polociæ in Cathedrali Ecclesiâ sepultum est. In vita virtutibus clarus, post mortem miraculis á DEO illustratus est ab Urbano VIII. Anno Domini Milesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, die decima quarta Decembris Beatorum Martirum Catalogo annumeratus est. ℞. *Stola jucun*

cunditatis In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium* Si quis vult post me venire. 9. *lect. & com* S. *Cypriani*

MENSE NOVEMBRI FESTUM S. STANISLAI KOSTKA, CONF: SOC: JESU.

Duplex 1. classis cum Octava.

Vesp. *dupl. de. Communi Conf. non Pontif. In Hymno* Iste Confessor *dicendum* Meruit supremos.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera sapientiæ tuæ miracula etiam in tenera ætate maturæ sanctitatis gratiam contulisti; da quæsumus, ut Beati STANISLAI exemplo, tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum,

In primo Nocturno De Libro Sapientiæ. *Lectio* 1. *Cap.* 4. & 5.

IUstus, si morte &c. *ut in Comm uni Confess: non Pont:* 1*mo loco.*

In II. *Nocturno.*

Lectio IV.

STanislaus, Senatoria Kostkarum gente ortus in Polonia, quam olim esset militiam secuturus, nomen IESU prænuntiavit, pariture matris gremio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa siquid minus pudice dictum audisset, præ horrore exanimis corrueret. Ad Viennense in Austria

Seminarium studiorum causa missus non minus exemplo Sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Lutherani hospitis ædes migrare, ibique a Paulo fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus; domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit: ad æterna se, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum cælestium desideriū, perpetua cum DEO consuetudo, cultus Deiparæ adeo tener, ut Matrem suavissime appellaret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum. *

Et dedit illi claritatem æternam:

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum DEI,

Et dedit illi claritatem æternam.

Lectio V.

Quotidianæ fratris vexationi crebra ipse jejunia, flagella, aliosque corpusculi cruciatus adiiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum Dæmonem horrendi canis specie insilientem signo Crucis ter fugasset, sacrum Viaticum, quod in hæretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jesu complexum a Beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convaluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania præcluderet; peregrini habitu solus, pedes, mendicus fugam arripit, certus non sistere, nisi voti

com-

compos fiat. Iter non uno DEI beneficio prosperum fuit. Nam præter alia Pauli profugum fratrem iam assequentis equi, immisso divinitus torpore, constiterunt. Et Stanislaus Angelorum Pane iterum Angelico ministerio refectus, post duodecias centena passum millia, tandem Romæ in Societatem JESU á Francisco Borgiá Generali Præposito meruit cooptari.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, Stolam gloriæ induit eum: Et ad Portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Tyronis emeriti Vittutes in Religiosæ vitæ palestra splendidius eluxere: Chaeritas præsertim erga DEUM, in quem assiduê alienatâ á sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, nonnumquam irradians; perennes lachrymæ; ardor pectoris tantus, ut media quoque hyeme foret ingesta identidem gelidâ temperandus. Itaque amore verius, quam febri æstuans, die Assumptæ in Cælum Virgini sacro, ad ejus triumphalẽ pompam propius, ut optaverat spectandã, ab ipsa beatarum Virginum choro stipata, vocatus est ex Quirinali domo probationis, anno innocentis vitæ decimo octavo; operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis, in sua præsertim Polonia enituit, cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis, é Cælo affuit non semel; & Civitates alias peste, ali-

tas

as incendio liberavit. Quamobrem Clemens X. eum inter primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus vero XIII: (quod a Clemens XI. iam pridem fuerat decretum) in Sanctorū numerum retulit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei DEUS, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam· Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣: Iste, est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna, Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In III, Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundū Math: c. 19. v, 13.

IN illo tempore Oblati sunt JESU parvuli, ut manus eis imponeret. Et reliqua. Homilia S. Augustini Episc.

In Psalm. 49.
Lectio VII.

PRoponitur pueritita ad imitandum humilitatē & iterum proponitur pueritia ad cavendum fatuitatem. Proposita pueritia ad imitandum humilitatem á Domino est quando vocavit ad se pueros, & cum prohiberentur ab illo, dixit: Sinite pueros venire ad me; talium est enim regnum cælorum. Propositum exemplum pueritiæ ad cavendam fatuitatem ab Apostolo est: Fratres nolite pueri esse sensibꝰ. Et rursus proponit ad imitandum: Sed malitia infantes estote ut mentibus perfecti sitis.

℟. Iste est, qui ante DEUM magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominū: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣.

℣. Ecce homo sine querela, verus DEI cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio VIII.

DUo fratres erant Esau & Jacob, in utero matris ambo confligebât & de conflictu viscera materna concutiebantur. Et ibi cum duo essent, electus est minor, & præpositus est majori. Sed quia dictum est: Major serviet minori manifestum est quia pi s subdentur impii, & humilibus subdentur superbi. Prior natus est Esau, & posterior natus est Jacob. Sed qui posterius natus est prælatus est primo nato; qui plus amavit quod corporaliter concupierat, quam quod spiritualiter prius nascendo meruerat.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revetatur à nuptiis.

℣. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX: De Dominica occurrente In Missa Credo *per totam Octavã.*

XXI. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ

ac Sociarum Virginum, & Martyrum Duplex Minus pro tota Societate JESU Cum Lect propr. in 2. Noct. ex concess BENEDICTI XIV. 28, Septembris 1750.

Officium de comm: plur: Virg: & Martyr. In utrisq Vesp. ad Magnificat

cat, & *in Laud. ad Benedictus Antiphona* Prudentes *Oratio* Da nobis *Post Hymnos Vesp.* & *Laud.* ℣. Adducentur. *Commem. S. Hilarionis Abb. in 1. Vesp.*, & *Laud ad Matut Lect.* 1. *Noct.* *de Scrip. occur.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GRatiano Jmperatore, Flavius Clemens Maximus Romani exercitus in Britannia Dux, arrepta Tyrannide, Jmperator á militibus acclamatur. Inde copiás in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Jmperium sibi corroborat, Cumque Armoricorum uberem regionem, ejectis antiquis, habitatoribus, Britanicis militibus, quos secum duxerat, divisisset, quo novas Colonias propagaret in posteros: Connani Britanici Reguli, quem Britannorum Ducem habebat in exercitu, consilio, missa legatione in Britanniam, singulis militibus novis colonis singulas Virgines conjugio federandas postulas.

℟. Propter veritatem, &c.

Lectio V.

HAud visa Britanniæ Regulis absurda petitio; unde in gratiam novi Jmperatoris, & quod filias suas nonnisi gentilibus suis, iisque donatis nova Provincia prædivitibus honestissime collocandas scirent, pro numero militum totidem delectæ sunt Virgines, quarum Princeps erat VRSVLA Dionoci Cornubiæ Regis Filia, desponsata Connano Duci Britanorũ militũ in exercitu Maximi. Cunctæ igitur

Londini

Londini collectæ, impositæ sunt invitæ navigiis Solventes nautæ, cum Armoricorum regionem cogitant á sæva procella in Germanicū littus dejiciuntur.

℟. Dilexisti justitiam, &c.

Lectio VI.

COntigit adesse tunc ibi Hunnorum copias, quas á Gratiano Imperatore adversus Maximum evocatas ferunt. Nacti igitur Barbari præclarum illud Virginum agmen, impotenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt, Sed cum hortante VRSVLA mortem potius oppetere, quam Virginei pudoris jacturam pati, invicto animi vigore decrevissent; Hunni in rabiem immanitatis conversi ad unam omnes trucidant. Sicque VRSVLA super Comitum suarum, velut cælestium Margaritarum acervum gloriosa victima procumbens, purpurâ pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem Virginum exercitum, geminis nempe virginitatis, & Martirii Laureis insignem ducens, Cælum victrix intravit. Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt; earumque illustrem agonem Christianus Orbis florenti semper memoriá celebrat.

℟. Afferentur Regi. &c.

In 3. Noct. ex Homil. in Evang. Simile erit Regnum Cælorum decem. 9. *Lect. S. Hilarion: ex duabus una, & commem. ejus in Laudib. & Missa.* Loquebar. *Epistola:* De Virginibus præceptum *Secreta* Intende. *Post commun.* Præsta *cum* Gloria. *& non dicitur* Credo. *nisi ubi sunt Insignes Reliquiæ.*

Die vii Julii.

S. PULCHERIÆ

VIRGINIS IMPERATRICIS

Duplex Majus

ORATIO.

DEUS, qui B. Pulcheriam ſingulari Caſtitatis prærogativa decoraſti, quique illi ad defendendam Eccleſiam Tuam ſummum Fidei amorem tribuere voluiſti; concede, ut ejus interceſſione Tibi puris mentibus inhærentes ab omnium hoſtium inſidiis miſericorditer liberemur Per Dominum. &c.

Lectio I. Nocturni De Virginibus, &c

IN II. NOCTVRNO

Lectio IV.

ÆLia Pulcheria Auguſta Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maximé nobilis, profligatis ſua præſertim opera Hæreticorum erroribus, & Catholico Dogmate circa incarnationis Myſterium, & divinam Maternitatē conſtituto multo nobilior ab ipſa pueritia tanta ſapientia divinitus prædita fuit, ut ii, quibus poſt Arcadii patris obitum imperii procuratio, dum Theodoſius adoleſceret, commiſſa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent, eſſetque conſtans opinio, unius puellulæ virtute ac ſapientia, quœ inſtare atque ingruere videbantur, pericula diſcuſſa, & felicitatem Imperio conſtitutam. Domi aſſidua diſciplinæ exactrix eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, ſed Aſceterium vulgo diceretur. Theodoſiū fratrem,

Eudo-

Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit. Flacillam Arcadiam Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus exercebatque ad virtutem, ut, quibus ætate non multum præstabat, eorum moderatrix, ac propemodum Mater esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatæ se, suamque Virginitatem DEO devoverunt; utque Augusta Virgo ea, quæ decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suæ testes haberet, ex auro & pretiosis lapidibus Sacrâm mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, & Fratris Imperio dedicavit; & in fronte ipsius mensæ hæc eadem inscripsit.

℟. Propter veritatem &c.

Lectio V.

POtior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura, eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat. qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi vereque Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriæ consiliis est obsequu us. Post diuturnam cum fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam aliquandiu se continuit, cum vero

feli-

felicitas Imperii una cum ea exularet, á fratre accersita, ubi deesse vidit, qui prælia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide, ac Religione armata processit, & missis in omnem partem Epistolis hortando, monendo, minitando, non pecuniæ, non laboribus parcens digna effecta est, quam Patres Concilii Chalcedonensis una omnium voce atque præconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem; Expultricem Hæreticorum Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianū, tunc Imperatorem novū Constantinum.) consalutarent; cuique S. Leo totius Romanæ Ecclesiæ nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto duplicē illi & palmam contulerat & coronam.

℟. Dilexisti justitiam, &c.

Lectio. VI.

Atque hæ tantæ curarum moles, quas præsertim in Ephesino ac Chalcedonensi Conciliis Romanorum Pontificum auctoritáte convocatis necessaria susceperat, nihilo illam ad cætera Christianæ pietatis officia obeunda fecere segnioré. Assidué cælestium rerum contemplatione, Sacrorum Librorum Lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat; Psalmos de nocte surgens una cum Regiæ familiæ Principibus decantabat, Dei, ac Sanctorum (quorum & colloquio non semel dignata est) cultrix eximia; quæ etiam summopere sem-

ſemper contendit. ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam inprimis coluit cui, hanc ipſam Deiparæ appelationem contra Neſtorianorum blasphemias aſſeruit; voluit namque ſumma Sapientiæ ſuæ diſpoſitione Divina Providentia, ut per Virginem ſumma Virginis dignitas inoffenſa penitus ſervaretur: quam etiam eſt imitata ſervando perpetuam in ipſo conjugio Virginitatem; cuius denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, reditibus locupletavit. In placanda Divina Juſtitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes miſericordia plane ſingulari, quos & materna quadam caritate complexa eſt quoad vixit, & moriens eorum, quæ aſſidua effuſiſſimaq; liberalitas reliqua fecerat, ſcripſit hæredes: Quod cautum ab ipſa teſtamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari Religionis ſtudio rebuſque omnibus Imperio dignissimum ipſa evexerat ad Imperium ſibique hanc ipſam ob cauſam, ſalva quam Deo voverat Virginitate, conjugem delegerat. Obit anno quadrigenteſimo, quinquageſimo tertio, magno omnium luctu, maximiſque Sanctorum Patrum: cœterorumque ejus ævi Scriptorum laudibus celebrata.

℟. Afferentur Regi &c.

IN III. NOCTVRNO

Lectio S. Evangelii ſecundum Joannem

C. XVII. 3.

IN illo tempore dixit JESVS: Hæc eſt autem vita æterna ut cogno-

gnoſcant te ſolum Deum verum, & quē miſiſti Jeſū Chriſtum, Et reliqua.

Homil :S. Cyrilli Alexandrini

De Fide ad Pulcheriam & Sorores Reginas.

Lectio VII.

SAne vos ſacras, caſtiſſimaſque Chriſti omnium noſtrum Salvatoris ſponſas, religioſiſſimæ Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, ſanctiſſimarumque Eccleſiarum decus optimo jure quisquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omniſque ornatus Divinæ Majeſtatis oculis gratus, acceptuſque mirifice ſplendet. Neque his opibus contentæ omnem quoque curam omneque ſtudium adhibetis, quo fide recta nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Chriſti Regnum capeſſere, & ea quæ illi grata ſunt, facere, & ſentire omittit, partim quidem præclaris actionibus, partim rurſum, cum veſtras, tum Principium quoque veſtrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes; partim denique ſumptuoſiſſima Tēpla Chriſto Domino excitantes; nam & hoc quoque pietatis ſtudium inter cætera ille Sanctis veſtris animis impertitus eſt.

℟. Hæc eſt virgo ſapiens. &c.

Lectio VIII.

IGitur ex ſacris literis vobis vere ſanctis Chriſti Sponſis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde inſtructæ videamini) aliquid depromā, Hinc etenim & Emmanuelem verum ac naturalem Deum, & Virginem Matrem, quæ eum peperit, veram per ipſum

Deipa-

Deiparam esse planum fiet. Ait Christus, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Si cum solius verique DEI cognitione JESV Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, & hoc ipsum æternam vitam conciliat: cui obscurum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

℟. Media nocte clamor.

Lectio IX.

ET ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius á Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communē fecerit? Sane ipse ab hac quæstione nos liberat, dum ait: ut unum sint sicut & nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secundum propriam hypostasim alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate plane & idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum; puta secundum essentialem, & naturalem identitatem, At cum divina natura tanto á creatura distet intervallo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat: ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnē omnino creaturam excellit? Verbum factus est homo: ut quemadmodum in Deitate unum & idem est cum Pa-

tre; ita secundum naturæ humanæ habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Te DEVM Lauda-mus. &c.